BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
16 — A
31

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

3.9.28
3
6
31

Digitized by Google

Digitized by Google

CONVIVIVM DIVINI AMORIS,

DEVS HOMINEM AMANS,

Chriſtus in Euchariſtiæ Sacramento latens, vt latum erga homines mandatum ſui patefaciat Amoris.

Authore R. P. IOANNE DE ALLOZA,
è Societate IESV Theologo Peruano,
ex Regum ciuitate Lima.

EDITIO PRIMA.



LVGDVNI,
Sumptib. H. BOISSAT, & G. REMEVS,

M. DC. LXV.
Cum Approbatione Doctorum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

APOSTOLO ET EVANGE-
LISTÆ IOANNI DISCIPVLO,
quem diligebat IESVS hoc maximum dilectionis opus, conuiuium ſcilicet Diuini amoris.

D. C.

OB multos titulos glorioſiſſime Euangeliſta Ioannes tibi dicari, & conſecrari debet opus hoc conuiuij Diuini amoris, Dei amantis hominem, Chriſti in Euchariſtia latentis. In hoc Diuini amoris conuiuio, ſicut plus Chriſtum amans, & plus amatus à Chriſto, ita ſublimem ſedem habuiſti, vt præter ipſum Chriſtum, qui in ſinu eſt Dei Patris nullus altiorem ſedem, vel habet, vel poteſt habere, cum habueris illam in pectore & ſinu ipſius Chriſti Filij Dei. Quod ſi, vt inquit D. Chryſoſtomus. *Homil. 54. in Matth.* perſonæ dignitatem, & merita ſedes oſtendit. Vt vnuſquiſque, ait, meritorum ſuorum conditionem ex ipſius loci qualitate cognoſcat. Quis ergo ex hominibus erit qui poſſit præferri ei, cui ipſe Filius Vnigenitus Dei tam glorioſam ſedem concedit. Cúmque hunc incomparabilem honorem tibi contulerit, vt magis fa-

Digitized by Google

miliari, magis dilecto, magis amato diſcipulo in hoc conuiuio Diuini amoris, cui potiori iure dicari, & conſecrari opus debet, in quo agitur de hoc conuiuio, & de hoc Diuino amore.

Si de Deo homines amante agitur, in nullo mortalium plus quam in te ſplendere dignoſcitur, cum per antonomaſiam diſcipulus nuncuperis, quem diligebat IESVS, plus dilectus Ben-Iaminus, quem plus tenero, plus affectuoſo fuit proſecutus amore. In conuiuio, quod Ioſeph Patriarcha, quod, vt fratres ſuos honoraret, eiſque indulgeret fecit, in honoribus, in indulgentiis, in amoris ſignis cæteris fratribus Ben-Iaminum prætulit, dedítque ei maiorem, & meliorem portionem conuiuij, quia maiorem, & meliorem partem habebat in corde ipſius. In hoc conuiuio, quod Chriſtus hominibus fecit, quem omnibus prætulit, quem plus honorauit, cui plus indulſit, cui teneriore, & chariore affecit amore Ioannes Euangeliſta fuit, ſedem ei ſibi proximiorem dedit in ipſo ſuo Diuino pectore, vt in eo cœleſtes delitias caperet, quia Ioannis captus erat amore, & quia plus eum amabat, locum ei cordi ſuo proximiorem concedit, quia in corde fons eſt amoris. Cui ex ſanctis, cui ex Apoſtolis, cui ex Seraphinis, talem exhibuit Deus demonſtrationem amoris. Cum igitur glorioſiſſime Euangeliſta, diſcipulus ſis dilectus, quem plus omnibus Chriſtus dilexit. Cui potiori iure dicari, & conſecrari debet liber hic, cuius inſcriptio eſt. ***Deus homines amans.***

Cúmque præcipuus huius operis ſcopus ſit de Chriſto agere in Diuino hoc ſacramento latente, & inter fideles omnes, inter omnes Apoſtolos, quia plus amatus, plus dilectus à Chriſto prius Chriſtum

Chriſtum in Euchariſtia latentem recepiſti: Tibi prius, quam cæteris omnibus hoc beneficium contulit, & in corpus ſuum tranſſubſtantiatum panem manducandum dedit: in hoc conuiuio Diuini amoris, & in eo, vt Chriſto in ſede proximior, prior in hoc fuiſti recipiendo fauore, & ab ipſius manibus, quæ cœlos fabrefecerunt hoc cœleſte donum ante cœteros omnes conſecutus fuiſti. Nullus ex Euangeliſtis tam ex profeſſo, ac ſigillatim, & tam expreſsè de hoc altiſſimo egit myſterio. Nullus ita explicitè extremum, & exceſſum Diuini amoris, quem in hoc dono hominibus largiendo Chriſtus oſtendit, expoſuit. Itaque Eccleſia mater noſtra in feria quinta hebdomadæ Sanctæ, in qua die hoc ſacramentum à Chriſto fuit inſtitutum, & in feſto corporis Chriſti, quod poſtea celebrat à te ſcriptum Euangelium cantat, cuius verba, quia à pectore igne amoris Diuini accenſo procedunt, Diuini amoris igne ſunt plena.

Et tandem glorioſiſſime Euangeliſta, ſi illi, qui libros ſuos dicare volunt perſonam eligere ſolent in alta dignitate conſtitutam, vt eos honoret, protegat, faueat, & defendat. Quis ex omnibus mortalibus tuam poterit dignitatem ſuperare? Si Ioannes Baptiſta digito Chriſtum oſtendit, tu in pectore eius recubuiſti, ſi ille Præcurſor fuit Chriſti, tu filius adoptiuus Mariæ, & per conſequens adoptiuus frater Chriſti. Magnifacit D. Chryſoſtomus, quod D. Paulus Oneſimum humilem ſeruum filium appellet, & idcircò magnifaciendum ſeruum fugitiuum aſſerit. Homil. 2. in epiſt. ad Philem. *Non ait recipe; ſed ſuſcipe hoc non modo veniam; ſed honorem quoque promeretur, eſt enim Pauli filius effectus.* Cum igitur ſpiritualis

filij D. Pauli titulus, ſit in Chryſoſtomi mente tanto dignus honore, titulus, & cognomen adotiui Filij Reginæ cœli, & terræ, hominum, & Angelorum, & Matris Chriſti, quam altus, quam ſublimis honor erit, & dignitas. Si Petro Apoſtolo Eccleſiam ſuam Chriſtus commendauit, maiorem Ioanni contulit honorem, cum Matrem ſuam illi ex Cruce pendens commendauit, ſola enim Virgo plus gratiæ, & meritorum habet, quam vniuerſa Eccleſia Chriſti, & ideo in hac gemma pretioſiſſima ſola multo plus illi, quam ſi totam Eccleſiam donaret, donauit, & ſi eum totius Eccleſiæ caput conſtitueret. Quod non fuit Petrus auſus interrogare, poſtulat à Ioanne, vt à Chriſto interroget: ſciebat enim ſpeciali dilectione à Chriſto eſſe dilectum. Cúmque Chriſti amor non ſit inefficax, & ei, quem plus amat, plura dona communicet, & ad maiorem dignitatem extollat. Quis facilè dicere poterit, dona, excellentias, virtutes, & merita, quæ Ioanni largitus eſt Chriſtus, dignitatíſque altitudinem, ad quam illum extulit, vel gloriæ thronum, in quem illum ſublimauit. Iure quidem à D. Auguſtino Aquilæ comparatur, quæ propter volatus ſui pernicitatem, & viſus acumen cæterarum volucrum meretur imperium. Nullus Euangeliſtarum in tantam altitudinem auolauit, nullus tam firmis oculis Diuinitatis Chriſti contemplatus eſt ſolem ſuper omnes cœlos, ſuper omnes Angelorum choros vſquequo ad ſinum Patris peruenit, & Filij generationem diuino lumine illuſtratus cognouit, volatum leuauit, & Patri æqualem eſſe in maieſtate, & gloria nobis expoſuit. Audiamus lumen Eccleſiæ Auguſtinum. *Cæteri*, inquit, *Euangeliſtæ, tanquam cum Domino homine in terra ambulant,* de

de diuinitate eius pauca dixerunt, Ioannes autem, quaſi piguerit in terra ambulare, erexit ſe non ſolum ſupra terram, & omnem ambitum aëris, & cœli; ſed ſuper omnem exercitum Angelorum, & peruenit ad eum, per quem facta ſunt omnia dicens. In principio erat Verbum. Hæc Auguſtinus.

Viſus tui acumen, ô Aquila Euangelica, & Diuina, quæ ſolem Iuſtitiæ Chriſtum de ictu in ictum firmis oculis, & firma fide intueris, ita eſt mirabile, vt diuinitatem illius, quanquam in nube humanitatis abſconditam cognoueris, &, vt à nobis cognoſceretur Euangelio tuo, & prædicatione feceris. Quare de te loquens Doctor Origenes dixit. Homil. 2. in diuerſ. *Spirituale petaurum, citiuolam omnem viſibilem creaturam ſuperat. Vox altiuoli volatilis, non aërem corporeum, vel æthera ſuperuolitantis; ſed omnem theoriam vltra omnia, quæ ſunt, ea, quæ non ſunt citouolis intima theologiæ pennis clariſſima, ſupernæque contemplationis obtutibus tranſcendentis.* Quid vltra poteſt dici de Diuinæ huius Aquilæ viſus acumine? Tranſcendit omne creatum, & increati ſolis lumen fixis intuetur obtutibus, tui viſus acumine, volucris Regia, nullum myſterium abſconditur, nullum te latet ſecretum omnem intuens abyſſum. Veritatem hanc D. Laurentius Iuſtinianus eleganter confirmat dicens. *Sapientiæ arcana contemplando rimaris, curris per Angelos, diſcurris per Archangelos, cæteráſque cœleſtium ſpirituum regiones pene percurrendo rimaris; Tibi nunc panduntur indicibiles ſapientiæ theſauri, Diuinitatis altitudo æterna, Verbi generatio, & cœleſtis gloriæ triumphale regnum.* Hæc loquens præclarus dixit Antiſtes. Optima igitur, Beatiſſime Ioannes, ex tui pernicitate volatus, & viſus

acumine colligitur, te Aquilam eſſe Diuinam, cui inter cæteras volucres, inter cæteros Sanctos, fauorum, amorum, illecebrarúmque Chriſti principatus debetur, cùm in illius amanti, & amabili pectore nidum poſueris. Quod ſi ex muneribus, & officiis, quæ amicus Regis in Regia fungitur domo, perſonæ dignitas, & magnitudo dignoſcitur, quis inter omnes Dei amicos honorabiliora munera in domo eius exercuit? Quis illuſtrioribus functus fuit titulis. Tu es virgo, & inter virgines tam illuſtri inſignitus prærogatiua virginitatis, vt ab ipſo Chriſto Domino cônſtitutus fueris Angelus cuſtos viſibilis Reginæ Virginum, & primiceriæ virginitatis. Tu es Martyr illuſtriſſimus, & Martyr Diuini amoris, lampadem ex olei dolio feciſti, in quo charitatis tuæ ignis illuſtrior illuxit. Tu es Euangeliſta, & inter Euangeliſtas Aquila Regia, quæ in celeritate volatus, & viſus acumine cæteros antecellit. Tu es Apoſtolus, & inter Apoſtolos plus dilectus, plus amatus à Chriſto. Tu es Propheta, & inter Prophetas nullus maiora, & profundiora exponit arcana. Tu es primæ cathedræ lector, qui altiſſimam ſapientiam, quam à Filio Dei didiciſti homines doces. Tu es Doctor inſignis myſticæ Theologiæ à ſecretis æterni Verbi, cui reuelauit ſecreta cœleſtia. Eccleſiæ Protonotarius, fidei lucifer, quam mundo notam feciſti. Tu ſydus veritatis Catholicæ, quod tutos ducis nauigantes in portum ſalutis; Sol, & ſal Euangelij Chriſti; hæreticæ prauitatis terror, tonitrui filius, qui voce terribili eos tremere facis, fugáſque. Tu fulmen eos comburens, & conſumens. Filij Dei ſacer interpres, Spiritus Sancti lingua, veritatis firma columna, perfectionis ſpeculum. Capellanus maior

ior Reginæ vniuerſi, & adoptiuus filius eius, Cherubinus in ſcientia, & Seraphinus in amore, & denique ipſius Filij Dei dilectus, & amatus Ben-Iaminus, cui pro ceruicali pectus ſuum tribuit, & in eo maius amoris ſignum, quod vnquam, vel dedit, vel dare hominibus potuit infinita Dei Bonitas. Cui ergo glorioſiſſime Euangeliſta Ioannes potiori iure dicare, & conſecrare poſſum hoc Diuini amoris conuiuium. Quam digniorem eligere potui perſonam, quæ honorabiliora munera exercuerit, illuſtioribúſque titulis functa fuerit? Me, licet indignum nomine tuo condecoraſti, & cum eo tuam deuotionem, & meam obligationem auxiſti, & ad tuas virtutes imitandas, & gratificanda beneficia nouis obſequiis, nouis donis obſtrinxiſti; hoc paruum licet erga te voluntatis affectæ quod tibi offero pignus, & munus ſuſcipe. Cúmque ſis in cœleſti curia, Regis, & Reginæ IESVS, & Mariæ tam familiaris amicus; Regis adoptiuus frater, Reginæ adoptiuus filius librum hunc, & authorem eius ſub tuo patrocinio ſuſcipe, & tu, qui regia aquila es, & tam proximus Regi Chriſto, in cuius pectore nidum poſuiſti, quod infinitæ charitatis clibanus eſt, prunam Diuini amoris ſaltem vnam mihi in roſtro defer, vt omnes, qui hoc perfruentur conuiuio Diuini amoris, diuino accendantur amore, & quia in eo tantum Deus erga homines oſtendit amorem; homines etiam diuino afficiantur amore; tecúmque diuini præmio potiantur amoris, qui Deus ipſe eſt non iam accidentibus panis velatus; ſed reuelata noſtris oculis tota eius maieſtate, & gloria per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

Digitized by Google

INDEX TITVLORVM HVIVS VOLVMINIS.

LIBER I.

CONVIVII DIVINI AMORIS.

FERCVL. I. *Qvanto honore afficiatur homo ad Dei conuiuium vocatus.* p. 1

II. *De incomparabili exceſſu, quo prædictum hoc conuiuium à Sacratiſſima Euchariſtia ſuperatur conuiuio.* 4

III. *Ferculum hoc, licet ſolum panis videatur, omnes Dei delitias, & illecebras continet.* 8

IV. *Marianæ arboris fructus pretioſior, rarior, & exquiſitior eſt, quàm fructus ligni vitæ.* 11

V. *Quantum vitæ lignum cœteris Paradiſi lignis excellebat, tantùm, & infinitè magis Euchariſtiæ ſacramentum cœteris ſacramentis excellit* 13

VI. *Fructus, & effectus ſacri Baptiſmatis in ſacra Euchariſtia eminenter reperiuntur.* 17

VII. *Sacramenti confirmationis Euchariſtia continet eminenter effectus.* 19

VIII

Digitized by Google

VIII. *Pœnitentiæ fructus, quæ antidotum eſt contra peccatum venenum mortis eminenter in hoc ligno vitæ continentur.* 22

IX. *Extremæ-vnctionis effectus eminentiori modò in Euchariſtia includuntur.* 25

X. *Sacramentum ordinis à Sacramento altaris totam ſuam habet perfectionem & complementum.* 28

XI. *Diuinus hic fructus, in quo cum Chriſto ſpirituale matrimonium conſummatur, ſacramenti matrimonij fructus longè ſuperat, & effectus.* 30

XII. *In conuiuio Abrahami exhibito Angelis palam fecit Deus, quam magnum hominibus in hoc cœleſti conuiuio exhibeat honorem.* 35

XIII. *Quod in nullo alio opere ex his quæ Deus pro hominibus fecit, ita ſuorum attributorum magnitudinem palam fecit, ſicut in hoc conuiuio, quod hominibus fecit.* 38

XIV. *Quod conuiuium filio prodigo à miſericorde ſuo exhibitum patre miſericordiam, & prodigalitatem nobis exhibet, quibus Chriſtus hoc Diuini amoris nobis conuiuium exhibuit.* 44

XV. *Quod in conuiuio facto in deſerto quatuor millibus hominum, quod poſtea Chriſtus in Euchariſtia fecit, repræſentauit.* 48

XVI. *Quod in his omnibus conuiuiis quod ſumptuoſum, & mirandum fuit, conuiuij Diuini amoris quod Chriſtus fidelibus fecit ſolum vmbra, & figura fuerit.* 52

XVII. *In Diuini amoris conuiuio ita erga hominem Deus liberalis fuit, vt Deo nihil maius dandum, homini nihil reſtet petendum.* 56

LECTORI

LECTORI REQVIES,
& muſica conuiuij.

Mellifica apes melle dulciore concentu Chriſtum in ſacramento latentem in alucariis ſuis adorant, & colunt. 59

XVIII. *Inter omnes fauores, omniáque beneficia à Deo facta homini hoc maius eſt.* 62

XIX. *Mundi conuiuia plena ſunt doloribus & hoc gratiis & fauoribus.* 71

XX. *Nullum eſt magis efficax medium, vt homo fiat Diuinus, quam recipere Verbum Diuinum factum hominem.* 76

XXI. *Quoniam, qui diuino hoc veſcitur pane in Deo inſeritur, & Deus in eo, vitam Dei agit, fitque Diuinus.* 80

LECTORI REQVIES,
& muſica conuiuij.

Venerabilis ſacramenti virtute ouis quædam à lupo rapta Diuinitus liberatur. 86

XXII. *Dignitas eſt pluſquam humana inuitari à Chriſto, & tam Diuino perfrui fauore.* 87

XXIII. *Panem angelorum edentes homines, ne Angelicæ felicitati inuideant.* 91

XXIV. *Ita eſt hoc conuiuium mirabile, vt ad id faciendum hominibus, renouet Deus in Sacerdotum manibus miranda omnia, quæ fecit factus homo in Virginis vtero.* 101

LECTORI REQVIES,
& muſica conuiuij.

Dialogus inter ſanctum Epiſcopum Sammonas, & Saracenum, in quo ſimilitudinibus humanis, huius Diuini myſterij veritas exponitur. 108

Digitized by Google

LIBER II.

DE FRVCTIBVS QVOS IN ANIMA ARBORIS vitæ fructus producit in hoc Diuini amoris conuiuio.

FRVCTVS II. *VT virtutis decorem, & vitij deformitatem agnoſcat illam amore, hoc odio habeat, animam illuminat.* 111

II. *In hoc conuiuio diuino feræ manſueſcunt paſſiones videlicet humanæ.* 115

III. *Quia corpus virgineum eſt, & in puro, & virgineo ventre conceptum, virginitatem puritatémque confert.* 119

LECTORI REQVIES, & muſica conuiuij.

Obmuteſcit hæreticus concionator huius Sacramenti virtute, & alius ad fidem ob hoc mirandum conuertitur. 122

IV. *Diuinum hoc conuiuium Dæmones retrahit, & Angelos attrahit.* 124

V. *Non eſt ſolum cibus ſuauis, ſed medicina ſalutaris.* 128

VI. *Non ſolum eſt medicina, quæ animas ſanat; ſed etiam theſaurus, qui ditat eas.* 132

LECTORI REQVIES, & muſica conuiuij.

Miranda Iudæi conuerſio ſanctiſſimi huius ſacramenti virtute. 137

VII

VII. *Cibus, qui in hoc conuiuio miniſtratur, vita eſt munimen, & mortis antidotum.* 138
VIII. *Iugum graue laborum huius vitæ, cuius onere mundus nos afficit, hoc ſacramentum ſuaue efficit.* 142
IX. *Feriuntur fœdera pacis inter Deum, & homines in hoc cœleſti conuiuio.* 147
LECTORI REQVIES, & muſica conuiuij.
De inſueto euentu ad hoc ſpectante myſterium, rectus iudex, vt iuſtitiæ leges ſeruaret filio ſuo non pepercit. 152
X. *Hoc fidei myſterium in cæterorum myſteriorum confirmat fide fideles.* 154
XI. *Fructus iſte ligni vitæ, noua ſacrificium legis, omnia antiqua legis exceſſu infinito ſuperat.* 161
XII. *Ex diuinis fructibus, quos hac eſca Diuina producit nos, vt cognoſcamus ducit ingenio non fuiſſe inuentam humano.* 168
LECTORI LEVAMEN, muſica conuiuij.
Myſterij huius fides mirabili confirmatur euentu. 178

LIBER III.

CONVIVII DIVINI AMORIS.

FERCVLVM I. *Multa licet Deum commouerint ad hoc hominibus conuiuium faciendum, primum mobile amor fuit.* 179
II

Digitized by Google

II. *In miris naturæ operibus miram Deus oſtendit potentiæ ſuæ magnitudinem.* 184

III. *Quanquam naturæ magnam Dei potentiam oſtendunt, multo magis ea, quæ ſunt ſupra naturam.* 188

IV. *Quanquam diuinæ omnipotentiæ magna ſunt opera, multo maiora ſunt, quæ in hoc Diuino ſacramento operatur Diuinus amor.* 191

LECTORI LEVAMEN, muſica conuiuij

ALIVD ANARRATVR mirandum 202.

De ſupplicio notabili, quo ab equite, qui mala diſpoſitione ad Euchariſtiam acceſſit, & eam ſumpſit, Deus pœnas ſumpſit. 203

V. *Amare, & non inſanire, nec facere exceſſus amoris, vix ipſe Deo conceditur.* 204

VI. *Conuiuio facto ab amore accedendum eſt cum amore.* 210

VII. *Exercitium amoris ad recipiendum Chriſtum cum amore.* 215

VIII. *Gratior Deo concentus in hoc conuiuio Diuini amoris eſt gratiarum actio cum magno feruore.* 221

IX. *Licet pro hac gratia gratiarum actio præcipuè reddenda ſit Chriſto, reddi etiam debet Mariæ matri ſanctiſſimæ illius.* 227

X. *Maior gratitudo, quam Chriſto exhibere poſſumus ob corpus ſuum nobis exhibitum ſæpè illud recipere eſt, eius enim corpus recipientes omnia opera miſericordiæ corporalia ipſi exhibemus.* 232

XI. *Eloquentiſſima exhortatio P. Ioannis Euſebij, in qua ad huius conuiuij Diuini amoris frequentiam lectorem exhortatur.* 235

LECTORI

Digitized by Google

LECTORI LEVAMEN,
musica conuiuij.

Conſtruunt apes mira architectura ſacellum, vt ſacram Euchariſtiam collocent. 238

Non ſolum apes, ſed & alia pecora campi creatorem ſuum in Euchariſtia latentem adorant. 239

Non ſolum apes, non ſolum pecora campi, verum etiam piſces maris Chriſtum in Euchariſtia venerantur. 241

De illuſtri, celebrique Daroca corporalium miraculo. 242

De euentu alio, qui Cæſar-Auguſtæ in Hiſpania contigit non minoribus prodigiis pleno. 246

Oratio Diui Ambroſij ante Miſſam. 249

Oratio S.Thomæ Aquinatis. 250

Oratio alia D.Thomæ dicenda poſt communionem. 251

SEPTEM BREVES MEDITATIONES pro ſeptem hebdomadæ diebus quibus ſe præparet qui vult in hoc ſacro conuiuio ad Diuini amoris menſam ſedere. 252

Meditat.I. II. Vt patrem tuum te amantem & amari digniſſimum Deum conſidera. 254

III. *Vt ſapientiſſimum magiſtrum qui ad te de cœlo deſcendit docendum humilitatem, patientiam, & charitatem Chriſtum conſidera.* 256

IV. *Vt bonum, & vigilantem paſtorem Chriſtum conſidera.* 258

V. *Vt ſapientiſſimum medicum qui te venit curaturus Chriſtum conſidera.* 260

VI. *Vt infinitæ maieſtatis Regem, qui in corde tuo hoſpitiũ quæſiturus venit, Chriſtũ conſidera.* 262

VII. *Vt ſponſum te amantem, qui de cœlo deſcendit, vt tecum anima mea, puriſſimum ac dulciſſimum matrimonium conſummet, Chriſtum conſidera.* 264.

Digitized by Google

INDEX
LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ.

Ex Genes. Cap. II. Plantauit autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis. 14
Ibid. Inſpirauit in faciem eius. 210
Ibid. Produxit Dominus Deus de humo omne lignum. 174
9 Arcum meum ponam in nubibus. 147
18 In feruore diei. 33
27 Num vnam tantũ benedictionẽ habes pater. 61
28 Et dederit mihi panem ad veſcendum. 32
Ex Exod. Cap. XII. Et edent carnes nocte illa aſſas igne. 214
Ex Ios. Cap. X. Sol cõtra Gabaõ ne mouearis. 191
Ex Lib. I. Reg. Cap. VIII. Impleuerat enim gloria Domini domum Domini. 64
Ex III. Reg. Cap. XVII. Vade Sarepta Sidoniorum. 167
19 Ambulauit in fortitudine cibi illius. 19
Ibid. Surge comede, grãdis enim tibi reſtat via. 171
20 Diſpone domui tuæ, cras enim morieris. 126
Ex Esther. Cap. I. Vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui, 40

Ex

Ex Iob. Cap.XIII. Si comedi buccellam meam ſolus. 41
Ex Psal. Psal. IV. A fructu frumenti, vini, & olei. 149
22 Super aquam refectionis educauit me. 17
23 Dilectus meus quemadmodum filius vnicornium. 101
49 Sacrificium laudis honorificauit me. 89
Ex Eccles. Cap.XL. Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus. 142
Ex Eccli. Cap.XLIII. Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum. 151
Ex Cant Cap V. Caput eius aurum optimum. 9
15 Bibite amici,& inebriamini clariſſimi. 220
Ex Isai. Cap.XXIV. Cum regnauerit Dominus exercituum. 89
Ex Ierem. Cap.II. Scito, & vide, quia malum, & amarum eſt. 78
Ex Zach. Cap.IX. Quid bonum eius, aut quid pulchrum eius. 220
Ex Math. Cap.X. Cum perſequentur vos in ciuitate iſta. 144
Ex Marc. Cap. VIII. Miſericors ſuper turbam. 49
Ex Lvca Cap.XIV. Villam emi. 57
22 Vt edatis, & bibatis. 126
Ex Ioan. Cap.VI. Sicut miſit me viuens Pater. 68
Ibid. Operamini non cibum, qui perit. 138
12 In finem dilexit eos. 56
Ex Iac. Cap. I. Abijcientes omnem immunditiam. 85
Ex Apoc. Cap. II. Lignum vitæ ad ſanitatem gentium. 14
5 Vidi agnum ſtantem tanquam occiſum. 87
13 Agnus occiſus ab origine mundi. 130

FACVLTAS

FACVLTAS.

PHilippus de Oſſa Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Toletana, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre Noſtro Ioanne Paulo Oliua Vicario Generali Societatis IESV, Facultatem facio vt liber inſcriptus *Conuiuium diuini amoris authore P. Ioanne Alloza* noſtræ Societatis Theologo, & eiuſdem Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Matriti die octaua Martij anno milleſimo, ſexcenteſimo ſexageſimo quarto.

PHILIPPVS DE OSSA.

APPROBATIONES DOCTORVM.

LIbrum cui Titulus *Conuiuium diuini amoris Authore R. P. Ioanne de Alloza è Societate IESV* legimus & examinauimus nos infra ſcripti facultatis Pariſienſis Doctores Theologi. Nihílque cenſurâ dignum deprehendimus. Actum Lugduni die Martij vigeſima anni 1665.

F. CYRILLVS MOREL CARMELITA.
F. ELIAS VIAL.

Ego

Digitized by Google

EGo infra ſcriptus Doctor Theologus Pariſienſis non cum minori animi voluptate quam attentione hoc exiguum ſed aureum opus quod *Diuini amoris* exhibet *conuiuium*, *authore R. P. Ioanne de Alloza Societatis IESV* perlegi, illúdque non minus legentibus gratum fore exiſtimaui, eam ob rem vt quam primùm in lucem prodeat vtiliſſimum iudicaui. Lugduni decima ſexta die Iulij anno Domini 1665.

F. IOANNES ROBE'.

IMprimatur Lugduni die 11. Iulij 1665.

DENEVF-VILLE Vic. Gen.

LIBER I.

Digitized by Google

LIBER I.

CONVIVII DIVINI AMORIS

FERCVLVM I.

QVANTO HONORE AFFICIATVR homo ad Dei conuiuium vocatus.

QVanto potentior, & dignior eſt Princeps, qui ad conuiuium ſeruos ſuos vocat, exquiſitiora, & pretioſiora, quæ apponuntur fercula, locus lætior, & gratior, apparatus ditior, ornatus venuſtior, abacus auro, argentóque cælato, ornatior, menſæ & ſedilia majore fabricata ſumptu, quique menſis miniſtrant nobilitate ſplendent illuſtriore, tanto inuitatus majore potitur honore. Mox, ac Deus noſtros primos parentes creauit, vt eos majore proſequeretur honore, vt majorem erga eos amorem oſtenderet, eos ad conuiuium in Paradiſo paratum vocauit Quis cum Deo Princeps poterit in maieſtate componi? Tulit eos in Paradiſum. Quis locus lætior, & gratior? Seuit in eo ſuauiores, ac dulciores fructus, vitæ conſulens, & voluptati, quam vnquam dono Diuino guſtus deguſtauit hu-

Digitized by Google

manus. Quæ bellaria, vel condita ſaccaro amygdala Paradiſi poterunt fructus æquare? Loci ornatus, areolæ aromatum, & ſuauiſſimi flores odoris, miro oculos demulcebant decore. Ad majorem autem conuiuij ſplendorem arbores ipſæ viride indutæ ſericum viridantium foliorum vicem famulorum miniſtrantium gerebant, & ramis extenſis diuerſorum fructuum fercula diuerſa afferebant, & inter eos pomum ita exquiſitum, ita pretioſum, vt virtute ſua eius ſuauitate fruenti, immortalitatem donaret, qua propter lignum vocatum eſt vitæ, quia mortis erat antidotum.

Magnus quidem fuit honos homini collatus à Deo, cum eum vniuerſi orbis Dominum, Principem, Regémque conſtituit à primo ſuæ creationis inſtanti, formationi, ac plaſmationi eius deliberatione, & conſilio incumbens, toties illum honorans, quoties (vt ſcite notauit Tertullianus) Diuinis ſuis manibus contrectauit. [Toties, *inquit*, honoratur, quoties manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum offingitur.] Hæc ille, vnde D. infert Iſidorus. [Quantum cæteris rebus præſtet homo dignitate virtutis, ex ipſa, ait, reuerentia diſcitur creationis, dum pro omnibus dicit Deus, fiat & facta ſunt; creare verò hominem quadam æterni voti deliberatione voluit.]

Verum creationis huius ſcopus non tam hominem honorare, quam cum filiis hominum delitias, & requiem habere profundè contemplanti fuiſſe videtur. Cui parceret, cui benefaceret, in quo bonitatis, & miſericordiæ ſuæ theſauros oſtenderet, deſiderauit habere. Aptè quidem ad mentem noſtram docta mens Ambroſij, *Lib.6. Exameron. c.10.* [Fecit, inquit, cœlum, non lego, quod

quod requieuerit, fecit terram, non lego, quod requieuerit, fecit ſolem, & lunam, & ſtellas, nec ibi lego, quod requieuerit. Sed lego, quod fecerit hominem, & tunc requieuit habens cui peccata dimitteret.] Hæc eloquentiſſimus Mediolani Archiepiſcopus. Verba quidem pergrata peccatoribus, omni gaudio, & conſolatione plena. Parcere tibi, benefacere tibi, & in te bonitatis, & miſericordiæ infinitæ ſuæ theſauros oſtendere, ſi pœniteas, requies, & delitiæ ſunt Dei, pœnitere de peccatis, vt peccatorum Redemptor requiem, & delitias habeat in te.

Non parua hominis gloria fuit ita magnum creatorem habere, & plaſmatorem ſui; Sed creatiuæ actionis natura perſpecta creare honorare non eſt, creare nil aliud eſt, niſi ex nihilo Deum infinita ſua potentia creaturas educere, vt ſibi ſeruiant obſequium præſtent, & obedientiam, æquum profectò eſt, vt omnipotens Dominus, quàm plures famulos, qui ſibi obſequantur habeat. Vocare verò ad conuiuium, inuitare creatorem creaturam ſuam, locum præparare, ornare, menſam componere, dapes exquiſitas, & pretioſas condere, & qui eas miniſtrent ad menſam conducere, majus, & amoris, & honoris eſt ſignum. Primos noſtros Deum creare parentes, niſi aliud fuit, quàm eis humanum eſſe conferre. Parare autem eis in Paradiſo regale hoc conuiuium, tot illecebras, tot ſuaues ad veſcendum fructus, vt vitam conſeruarent acceptam, mortis immunes cenſura, majus beneficium fuit, majus ſignum honoris, præſtantius epithalamium amoris; Conſeruatio quippè majus beneficium eſt, quàm creatio. Illa quippè continuata creatio eſt, & fruſtra eſſe crearetur humanum, niſi ab

omnipotentia conſeruaretur Diuina.

Quis ergo infinitæ maieſtatis videns Deum, creaturæ ſuæ miſerabili homini in apparando conuiuio toto incumbentem affectu, non miretur, non ſtupeat? Qua gratitudine, quibus obſequiis hic amor, hic honor, ita ſingulare poterit perſolui beneficium? Cúmque quodcúnque beneficium pruna ſit ardens amoris, qua beneficiati cor beneficiatum ſuum tenetur ardere; quanto eum proſequi debemus amore, à quo tantum ſumus beneficium conſecuti, qui ita nos dilexit, qui ita nos honorauit. Quanquam noſtri primi parentes mille vitas deſpicerent propter amorem eius, qui tanto eos, & amore, & honore reſpexit, qui eos tanto ditauit beneficio, quanquam ſuas omnes tam corporis, quam animæ vires in iuge offerrent obſequium, illius vix minimam tanti debiti perſoluerent partem.

FERCVLVM II.

DE INCOMPARABILI EXCESSV, quo prædictum hoc conuiuium à Sacratiſſima Euchariſtiæ ſuperatur conuiuio.

QVo dona gratiæ donis antecellunt naturæ, æterna temporalibus, Deus hominibus, & creaturis creator. Eo conuiuium, ad quod fideles ſuos vocat fidei author Chriſtus, conuiuium ſuperat illud, quod in Paradiſo voluptatis primis noſtris parentibus magni eos faciens, vt eis benefaceret,

Digitized by Google

benefaceret, fecit. Si enim inuitantis perpendatur maieſtas, quæ lingua, vel humana, vel angelica eam ſufficiet exprimere. [Quid eſt Deus, (inquit Bernardus, *de Conſid.*) longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum. Longitudo propter æternitatem, latitudo propter charitatem, ſublimitas propter maieſtatem, profundum propter ſapientiam. Deus amat, vt charitas, nouit, vt veritas, ſedet, vt æquitas, dominatur, vt maieſtas, regit, vt principium, tuetur, vt ſalus, operatur, vt virtus, reuelatur vt lux, aſſiſtit vt pietas.] Hæc Bernardus. Et lumen Eccleſiæ Auguſtinus. *Lib. 6. Confeſſ.* huic luci lumen addens. [O vera, ait, ſumma ſuauitas omni ſuauitate dulcior, omni honore ſublimior,] Hæc Auguſtinus; ſed audi Anſelmum. *In meditat. dulci Diuinæ.* [Deum, inquit, conſidero, quid ſit Deus, quam dulcis natura, quam amabilis, quam ineffabilis, quam admirabilis, quantum ab omni creatura veneranda, & adoranda; & iterum video, & intelligo, quid ſit homo, quem ipſe Deus fecit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, miror multum, & obſtupeſco.] Sed vnde tantus Anſelmi ſtupor? ideo ſtupet, quod ita dulcis, ita amabilis natura, ita ineffabilis, ita admirabilis, non veneretur, non adoretur, non ametur, imò deſpiciatur ab homine.

Sed, vt propiùs ad noſtrum redeamus ſcopum quæ mens, vel humana, vel angelica Diuinæ mentis penetrabit abyſſum? qua ſimilitudine, qua imagine, qui ſupra omnem eſt ſimilitudinem, & imaginem poterit aliquo modo intelligi? Sapienter Nyſſenus. *c. 10. de Virg.* [Quis, inquit, paruæ ſcintillulæ Solem comparat, aut paruam ſtillam cum immenſa aquarum voragine confert,] nullam

Digitized by Google

enim comparationem habet, nec cum voragine gutta, nec cum ſolis radiis minima ſcintilla. Eodem modo ſe habent omnia quæcunque homines tam pulchra admirantur, comparatione facta cum eo, quod omne pulchrum, atque bonum excedit.

Hic igitur Deus tantæ maieſtatis gloria ſplendens, tot perfectionum fulgoribus coruſcans, cuius poteſtas terminum, cuius ſapientia menſuram, cuius bonitas finem non habet, quocum ſi conferatur omnis potentia eſt fragilitas, omnis ſapientia inſipientia, omne lumen tenebræ, omnis bonitas imperfectio. Hic Deus, hic infinitæ maieſtatis, & gloriæ Dominus, vt hominem honoret, vt homini ſuum erga illum oſtendat amorem, ad menſam ſuam hominem, vt à vitiis auocet, vocat, eique ſumptuoſiùs, apparatiúſque, quam, vel terra fecit, vel cœlum refecit, conuiuium parat.

Quamvis habita ratione perſonæ, quæ in Paradiſo conuiuium præparauit, primis parentibus noſtris inueniri nequit exceſſus, cum ſit eadem, quæ in hoc Diuino ſacramento homines ad cœleſtia pabula inuitat. Verum, quod hæc Diuinæ, & infinitæ maieſtatis perſona ita ſe humanam oſtendat erga miſerum hominem, vt ſeipſam illi tradat in eſcam, exceſſus eſt incomparabilis, honor ineffabilis, dignatio inenarrabilis, amor indicibilis. Nunquam Deus ſimili angelos exaltauit honore; Quod Paulus de altiſſimo Incarnationis aſſerit myſterio. *Nuſquam Angelos apprehendit; ſed ſemen Abrahæ.* Non ſcilicet Verbum aſſumpſit Diuinum naturam Angelicam ſed humanam; non Angelo, ſed homini hunc ſummum conceſſit honorem. Ita pariter aſſerere, & dicere poſſumus. Quamvis panis hic cœleſtis Angelorum panis vocetur,

vocetur, non Angelis, ſed nobis datus, nobis natus; hoc beneficium maximum non fuit angelicæ, ſed naturæ donatum humanæ. Cum enim in eo ſit Deus, qui non angelus, ſed homo factus eſt; non Angelo, ſed homini Diuinum hoc beneficium fecit.

Magnus fauor, magnus honor, magna amoris oſtenſio illa fuit, quam primis parentibus noſtris, vt primum pignus amoris vniuerſi orbis parens Deus mox, ac illos creauit exhibuit in Paradiſo voluptatis, parans eis plenum voluptate conuiuium. Verùm illecebræ illæ comparatæ ſunt corpori; hæc eſca mirabilis animæ, conuiuium illud terrenum, hoc cœleſte, temporale illud, hoc æternum. In illo non eſt abbreuiata manus Domini, nec eius virtus exhauſta, quin ſumptuoſiora, & pretioſiora parare conuiuia poſſet; in hoc vero omnia eius infinita attributa, immenſáque virtus, quaſi exhauſta, & exinanita ſunt. Quamobrem, nec infinita eius bonitas velle, nec ſapientia inuenire, nec exequi quibit potentia conuiuium, in quo excellentior honor, dulciores delitiæ, vel maius homini conferatur à Deo pignus amoris, cum ſe ipſum, ſe totum in eo cum omnibus ſuis bonis, ac donis infinitæ maieſtatis Deus generi ſe tradat humano. Quis talem bonitatem, talem ſapientiam, talémque non admiretur potentiam? Qua gratitudine perpendi, quo amore, quibus obſequiis infinitum hoc poterit beneficium perſolui? O Deus homines amans, quomodo tibi homines, ſi non impendunt, non rependunt amorem? Sic eos honoras tali, ac tanta largitate, ſuper eos dona diffundens, vt nec illi plus petere, nec tu plus illis valeas donare. O vtinam ego Deum meum te tam perfecto, ac tanto amore proſe-

querer, vt nec te perfectiùs, nec plus te poſſem amare.

FERCVLVM III.

FERCVLVM HOC, LICET SOLVM panis videatur, omnes Dei delitias, & illecebras continet.

AD vanam, quâ magnificentiæ, qua diuitiarum oſtenſionem faciendam dapes exquiſiti, & pretioſi valoris nonnulli conſueuerunt miniſtrare in conuiuiis. Iure quidem reprehendit Tertullianus *Lib. de pallio c.* 5. diuitis cuiuſdam vanitatem, qui plus liberalis, ac magnifici famæ ſtudens, quam conuiuarum guſtui placere, aues cantatrices, & loquaces illis edendas dedit, cum ſingulas centum, & quinquaginta aureis emiſſet. [Qui ex auibus, inquit, eloquentiſſimus hic pater, eiuſdem pretioſitatis, vt canoris, & loquacibus quibúſque patinam conflauit.] Verum mortuæ licet, vt potentiam ſuam, & diuitias cantarent, & loquerentur voluit ille; ſed non niſi ſuperflui ſumptus prodigam cecinere, & loquutæ ſunt vanitatem. De aliis habetur apud humanas hiſtorias, gemmas, vniones, & pretioſas in conuiuiis margaritas miniſtraſſe, & de Cleopatra Ægypti Regina refertur Marco-Antonio in conuiuio, in patina vna aceto conſumptam margaritam dediſſe, pretium vnius vrbis æquantem.

Verumtamen quò Dei potentia, quò ſunt diuitiæ

Digitized by Google

diuitiæ maiores, maiora pro hominibus fecit, pretioſiora, & exquiſitiora in hoc Diuini amoris conuiuio, in ſolo pane fercula dedit; maioréſque delitias, & illecebras miniſtrauit. Non enim aues canoræ, & loquaces; ſed naturæ humanæ Phænix, cuius pulchritudinem raram, cuius incomparabile pretium, nihil eſt, quod poſſit æquare, pullus generoſus ille aquilæ Regiæ Mariæ, auis illa canora, quæ in arbore Crucis à mundo, carne, & Dæmone, victoriam cecinit partam, hæc aſſa in clibano amoris homini à Deo miniſtratur edenda. Nec in catino iſto deſunt aurum, vniones, margaritæ, & pretioſiſſimi lapides. Aurum capitis Chriſti (aureum fatetur ſponſa) oculorum pulchri ſaphyri, quorum, cœlum æmulatur colorem, labiorum rubentia coralia, dulcedinem ſtillantia Diuinam, dentium pretioſæ vniones, Hyacinti, quibus plenas habet aureas manus, plagarum ſplendentes carbunci. Quæ patina pretioſior, quæ eſca exquiſitior, tam pretioſis, támque exquiſitis condita bellariis vmquam poterit excogitari? Numquam ad id peruenit vanitas humana, ad quod liberalitas peruenit Diuina.

Nil autem mirum, quod creaturam creator vincat, hominem Deus, & conuiuium Diuinum humanum. Quod maiore admiratione dignum, quod ſupra omnem creatum intellectum effertur illud eſt, quod in hoc mirabili conuiuio, ſeipſum vincat omnipotens Deus. Licet enim fructus illi, quos in Paradiſo homini Deus ad veſcendum dedit miram, & exquiſitam ſaporis ſuauitatem, haberent, & quæ vniuerſos arborum fructus, quos nouimus dulcedinem ſuperabant. Et quamuis ligni vitæ fructui, nec in præſtantia ſimilis, nec

in ſuauitate, & dulcedine poſſet par inueniri. Cæterum, nec in pretio, nec in ſuauitate, & dulcedine poterunt cum eſca hac cœleſti comparari, ſi enim conferantur cum illa, nec pretium, nec ſuauitatem, nec dulcedinem habent.

Cùm ergo quò fercula, quæ in conuiuio miniſtrantur pretioſiora, rariora, & exquiſitiora ſunt, eo magis ad conuiuium vocantis produnt deſiderium conuiuas honorandi, & amorem erga illos oſtendendi, eóſque demulcendi, ferculúmque, quod Deus in hoc ſuo conuiuio conuiuis porrigit ſuis, ita ſit pretioſum, ita rarum, ita exquiſitum, & tam infinitæ ſit ſuauitatis, ac dulcedinis, vt ſi ſe inuicem tres Diuinæ perſonæ inuitarent, dapem pretioſiorem, nec dulciorem poſſent ſibi inuicem miniſtrare; quantus à Deo homini erit exhibitus honos, quales illecebræ oblatæ, quàm magnum ſignum amoris, cum in hoc cœleſti conuiuio tali eſca homo fruatur. Quis igitur non miratur, non ſtupet, cum Deum videat ita erga hominem liberalem, ita ſui prodigum, ita opuſculi ſui amatorem. Quis ita magnum obliuioni tradat æternæ memoriæ dignum, beneficium, quis totis ſuis viribus tanto benefactori non curat ſe oſtendere gratum. Parum eſt mille vitas prodigere amando pro illo, qui prodigus ſui tanto nos fuit proſequutus amore. O Deus homines amans ſi pretioſius, quod homo habet cor eſt, ſi gemma ditior voluntas, ſi pulchrius monile amor, Suſcipe Domine cor meum totum, vt partem ſaltem aliquam tanti beneficij rependam.

FERCVLVM

FERCVLVM IV.

MARIANÆ ARBORIS FRVCTVS pretioſior, rarior, & exquiſitior eſt, quàm fructus ligni vitæ.

VT clariùs conſtet, quantum conuiuium hoc, quod conuiuis dilectis ſuis Chriſtus in Eccleſia facit, conuiuio illi, quod primis parentibus noſtris in Paradiſo fecit excellat, animaduertendum eſt, quod pretioſius, quod rarius, quod exquiſitius, maiorí ſque ſuauitatis, quod in illo conuiuio fuit, fructus arboris vitæ fuit, quem in pretio, in excellentia, in ſuauitate, in virtute, in perfectione longè ſuperat fructus, non temporalis; Sed æternæ vitæ, qui in hoc cœleſti conuiuio ab authore fidei Chriſto fidelibus confertur edendus.

In Eccleſiæ Paradiſo fructus ligni vitæ humanitas eſt Chriſti vitæ fonti Verbo ſcilicet vnita Diuino *in Pſ. 1. Tres ſunt* Paradiſi ex Seraphici Doctoris ſententia, *primus terreſtris, ſecundus fidelium, ſcilicet Eccleſia Sanctorum, tertius cœleſtis.* In primo eſt lignum vitæ, in ſecundo humanitas Saluatoris. In ſecundo igitur Paradiſo, in Eccleſia videlicet Chriſti lignum vitæ eſt humanitas Saluatoris, quæ meliorem, quàm primum illud vitam largitur, illúdque infinitè antecellit. Fructus ille vitam conferebat temporalem, hic confert æternam. De illo dixit Angelus Doctor, corpori vitam immortalem donare, inerat quippè virtus illi à calore naturali conſumptum reſtau-

randi pefectè, itaquè vitam ſine diminutione ſernabat; Hic verò Diuinus fructus perfectiore modo animæ virtutem reſtaurat, & deperditam ſeparat, cuſtodítque immortalem. Ille vitam præbebat naturalem, & humanam, hic vitam donat ſupernaturalem, & Diuinam ille ſalutem corpori natura ſua mortali; hic gratiam animæ immortali; Illius ſuauitas, magna licet, erat tamen terrena, huius ſuauitas omnino cœleſtis. Fructus ille, quamuis arboris optimæ intra ligna Paradiſi; erat tamen decerptus ex arbore terræ, hic verò generoſi vteri fructus ex arbore progenitus illa, Maria ſcilicet, quæ omnes incolas ſuperat cœli. Idcircò lignum vitæ à Damaſceno, arbor vitæ fructifera, à Bonauentura Maria vocatur. Illius arboris fructum ne quis eum guſtaret, igneo gladio Cherubim cuſtodiebant; Ad hunc verò veſcendum ipſi Seraphini, ipſa Seraphinorum Regina, ipſe Rex gloriæ Chriſtus, nos omnes vocant, nos, vel cunctantes inuitant. Ille in Paradiſo, vbi à nullo poſſit inueniri latet; hic omnibus in præſtantiore Paradiſo, in Chriſti ſcilicet Eccleſia patet. [Sicut fuit, inquit D. Paſchaſius *lib. de Corp. & Sang. Domi. c. 9.* arbor vitæ in Paradiſo, ita Sancta Dei Eccleſia, quæ Paradiſus deliriarum in Canticis appellatur, habeat in ſe myſterium vitæ, quod in eodem ligno figurabatur, ex quo qui edunt ſeruantes mandata vitæ, nequaquam poſſunt mori in æternum.] Hæc D. Paſchaſius.

Cùm igitur tantùm inter arborem, & arborem, inter fructum, & fructum diſcrimen ſit, haud obſcurè cognoſcitur quantum præſtet conuiuio in Paradiſo facto, hoc à Chriſto Domino fidelibus ſuis in Eccleſiæ Paradiſo paratum. Quis

igitur

igitur honor cum hoc poterit honore conferri? Quod amoris ſignum cum tanto pignore amoris? Quis ergo non miretur, quis non ſtupeat cum infinitæ maieſtatis Deum homini indulgendo, demulcendóque occupatum videat? O infinitæ bonitatis Deus, quò magis protendi poterunt Diuini tui effectus, & profectus amoris? Cùm ad excitandum, & accendendum Diuino hoc igne pectora humana, ita pretioſum, ita rarum, ita exquiſitum ferculum, tuæ humanitatis, & Diuinitatis miniſtras. Quali amore talis amor perpendi, quibus obſequiis talis poterit exceſſus charitatis perſolui. Si mille mihi corda eſſent, igne tui amoris incenſa, ſi millia millium haberem flamma charitatis exuſta, nec minimæ debiti ſatisfacere parti valerem.

FERCVLVM V.

QVANTVM VITÆ LIGNVM cœteris Paradiſi lignis excellebat, tantùm, & infinitè magis Euchariſtiæ ſacramentum cœteris ſacramentis excellit.

OMnia, quæ primus Adamus de terra terrenus malo vetito, quod edit, mundo intulit mala; abſtulit ſecundus Adamus de cœlo cœleſtis, & quæ ille euertit, hic conuertit in melius. Itáque pulchriorem Paradiſum plantauit, fructuoſioréſque arbores ſeuit, in quarum medio præſtantiſſimum aliud vitæ lignum conſtituit, vitæ nempè non mortalis, ſed immortalis non

tempora

temporalis, ſed æternæ, vt ſupra diximus. Paradiſus hic Eccleſia eſt Chriſti, arbores ſacramenta, & inter illa vitæ lignum Euchariſtia, cuius dulciſſimum; ac ſuauiſſimum fructum fidelibus ſuis ipſe Dei Filius filiis hominum deguſtandum, comedendúmque porrigit in hoc Diuini amoris conuiuio. D. Laurentius Iuſtinianus non incongruè ad mentem noſtram. Idem Dominus, inquit, ſpiritualem plantauit paradiſum, ſanctam videlicet Eccleſiam, vt illic perditum hominem collocaret, quam, vt plantaret mandaret, ſanctificaret, & perficeret, deſcendit à regalibus ſedibus tradens ſemetipſum, & effundens pro dilectione ipſius proprium cruorem. Struem lapidum compoſuit ad eius cuſtodiam, choros ſcilicet Angelorum, inſeruit in ea arbores, & ligna, ideſt cœleſtia ſacramenta, quorum alimento nutriantur, qui illic collocandi ſunt.

Cùm igitur Paradiſi arbores, Eccleſiæ ſacramenta ſignificent, lignum vitæ quodnam poterit adumbrare ſacramentum, niſi illud, in quo fons ſcaturit vitæ, inter omnia alia excellentiſſimum. [Hoc illi nomen Rupertus attribuit. Lignum vitæ in Paradiſo Eccleſiæ, lignum vitæ ad ſanitatem gentium.] Hanc Paradiſum, has arbores, earúmque fructus Rex Propheta. *Pſal.* 4. contemplans hæc myſtica protulit verba. *A fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt.* Ditiores agri, prouentus frumenti, vini, & olei in hoc aſſerit ſanctiſſimo reperiri ſacramento, in hoc videlicet Diuini amoris conuiuio. Inuenitur quippè in eo frumentum electum, & electorum. Ita à Zacharia vocatur, inuenitur vinum germinans Virgines, ſic ab eodem Zacharia nominatur. Oleum etiam ſignum pacis, vt à D. Iacobo

nun-

Digitized by Google

nuncupatur. Has fructuum perceptiones, ait Rex Propheta hominum eſſe diuitias, & hunc locum expoſitores ſacri, vt plurimum de ſacra Euchariſtia interpretantur, in qua omnes tam cœli, quam terræ, cœli, & terræ Dominus coaceruauit theſauros. Burgenſi videtur hic ſanctum Regem in ſenſu litterali de hoc altiſſimo loqui myſterio; Quæ ſententia Lorino noſtro non diſplicet, & dicit hunc exponens pſalmum. [Hanc arbitror litteralem expoſitionem, & gratias agere Dauid Deo, quod creuerit Eccleſia de fructu frumenti, & vini conſecrati.] In ſenſu allegorico explicatur à Carthuſiano, Lira, Titelmano, Genebrardo, aliíſque non infimæ notæ ſcriptoribus. Quod verè plus ponderis habet noſtra mater Eccleſia ab Spiritu Sancto edocta in huius feſtiuitatis officio ab Angelico Doctore condito in primi nocturni antiphona 2. huic myſterio verba hæc accommodat dicens: A fructu frumenti, vini, & olei, ſui multiplicati fideles in pace Chriſti requieſcunt.

Diuitiæ omnes, omnia bona, omnes theſauri, vniuerſa gratia, quæ tanquam ex propriis fontibus à cæteris ſacramentis emanat, in fructu ligni vitæ, quem Chriſtus fidelibus in hoc ſacro conuiuio edendum offert. Tanquam in præcipuo, & primo gratiæ fonte inueniuntur, & manent, vt in omnes emanent. Eſt quippè omnium diuitiarum fodina, omnium theſaurorum arca, & tanquam fontis concha, in qua aquæ omnes, omnes videlicet gratiæ congregantur. Fons enim totius noſtri boni, Diuinum ſcilicet Verbum, quod per totam æternitatem latuit in ſinu Patris. Quoniam adud te eſt fons vitæ, temporaliter in Bethlemitico erupit tugurio ex Virginis matris fœcunda tellure, & ſe per orbem diffundens inæſtimabili

aquarum

aquarum ſuarum pauperes homines locupletauit thesauro vnâ cum illis donans lætitiam triſtibus, tribulatis ſolatium, laborantibus requiem, infirmis ſalutem, ipſiſque mortuis vitam. Hic Paradiſi fons, Eccleſiæ videlicet Chriſti in Caluariæ monte in ſeptem Canales diuiſus eſt, & concha, in quam conuenerunt omnes, Euchariſtia eſt. Vel, vt aptius ad rem dicamus arboris vitæ ſecuti metaphoram cuius pretioſiſſimus fructus in hoc nobis cœleſti miniſtratur conuiuio, in eo ſunt excellentiori modo effectus omnes, vtilitates, & bona, quæ in aliis omnibus ſacramentis habentur. Itaque in hoc ſolo ferculo conuiuæ Chriſti cæterarum arborum Paradiſi Eccleſiæ infinito interuallo potiuntur. In reliquis quippè ſacris ſignis, pars gratiæ donatur; in hoc verò totius gratiæ fons elargitur. Vnde copioſiore largitate promanat. Cœtera dona ſunt Dei, in hoc ſeipſum donat Deus. Cœtera media ſunt, quibus peruenitur ad Deum; in hoc tamen inuenitur ipſe Deus, qui omnium ſacramentorum finis eſt, quæ nihil aliud ſunt, quàm diſpoſitiones quædam, vt puritate maiore excellentiſſimum hoc ſacramentum recipiatur. Quamobrem à D. Dionyſio ſacramentum perfectiuum, & conſummatiuum appellatur; aliorum námque perfectio, & complementum eſt: & qui dignè illud recipit, cœterorum omnium effectus recipit prærogatiua ſingulari, qua ad frequentiam, & venerationem Diuini conuiuij huius noſtra excitanda eſt tepiditas humana. Voluit nos Deus honorare, voluit nobis indulgere, voluit delitias præbere; & vt amoris ſui nobis exceſſum oſtenderet ad non plus vltra, ad vltimum amoris extremum peruenit, buccellam panis arte ita Diuina condiens, vt

Digitized by Google

omnem ſuauitatem ſaporis, quam guſtus appetere poſſet humanus, imò multò plus, quam appetere, & petere poſſet, eminenter contineret. Quis non miratur, cum Deum videat tanto ſtudio delitias, & illecebras homini præparantem; tantáque cura condientem, & vt eius amorem excitet nouas artes inuenientem? Quis tanto beneficio ſe gratum non oſtendit? Quis ita liberalem amatorem non amat? Cúmque Deus in omnium excellentiſſimo ſacramento bona cœterorum omnium, vt nobis benefaciat, coniungat; coniungamus, & nos omnes ſenſus, & potentias noſtras in nobiliſſimo noſtrorum omnium affectu, amore ſcilicet, vt omni noſtra virtute noſtrum amatorem amemus.

FERCVLVM VI.

FRVCTVS, ET EFFECTVS SACRI Baptiſmatis in ſacra Euchariſtia eminenter reperiuntur.

PRimus Baptiſmi effectus, pulchram eſt reddere animam, & à maculis peccatorum mundare, vt mundi Domino gratiæ pulchritudine pulchra appareat. Ita Angelicus Doctor D. Tho. *3. p. q. 69. art. 1.*

Hunc effectum altiori modo altiſſimum hoc includit ſacramentum, hic arboris vitæ fructus, aquæ habet virtutem, & fructum, animas ſcilicet mundandi, & purificandi. Quapropter Rex Propheta *Pſal.* 22. aquæ illi nomen tribuit. *Super aquam*, inquit, *refectionis educauit me.* Et ſicut Baptiſmi aqua mundat, & purificat animas,

vt

vt mundæ, ac puræ cum capite ſuo vniantur Chriſto, ita pariter diuiniſſimo hoc ſacramento mundatæ, ac purificatæ cum ipſo vniuntur Chriſto, ita ſtricta vnione, vt Chriſtus ſit in illis, & illæ in Chriſto, vt ipſe Chriſtus aſſeruit: Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem in me manet,& ego in eo. Quæ ſors felicior, quæ felicitas maior, quam vinculo ita ſtricto, ita Diuino animam vniri cum Deo. Scitè Euchumenius *ad c.* 10. 1. *ad Cor.* [Agglutinat, inquit, nos Chriſto ſanguis ipſius, non ſecus, ac membra capiti.] Vnio quidem mirabilis, vtiliſſima, dulciſſima, & quæ hominum mentes ad ſummum extollit honorem. Quid igitur mirabilius, quàm carnem in peccatis conceptam vnitam videre cum carne illa, quæ in puriſſimo Virginis vtero concepta eſt per Spiritum Sanctum? Quid homini vtilius, quàm, quod capitis Diuini illius, quod caput eſt hominum, & Angelorum cœleſtibus membra influentiis potiantur. Quid dulcius, quam cum ipſo vniri fonte dulcedinis? Quid tandem honeſtius, quid excellentiæ maioris, quam vinculo ita arcto, & ſtricto, vniri cum creatore creaturam. Cum ergo homines propriam vtilitatem, propriumquè lucrum ardenter ament, quis temporale amat, cum potiri poſſit æterno? Et qui dulcedines, & delitias appetimus, vt quid riuulos quærimus, cum ipſum dulcedinum, & delitiarum omnium iuxta nos fontem habeamus, vel ſi honores ſtulta ambitione auemus, cur pro falſis fatigamur, cum ſine fatigatione vlla veros, ſi illos verè aueamus in hoc ſacro conuiuio habere poſſimus.

FERCVLVM

Digitized by Google

FERCVLVM VII.

SACRAMENTI CONFIRMATIONIS Euchariſtia continet eminenter effectus.

PRæcipuus huius ſacramenti effectus eſt, vt colligitur ex D. Angelico, fidelem in fide, quam in Baptiſmo recepit, confirmare, eique vires, vt per cœli viam currat, & occurrentes inimicorum cuneos, qui eum impedire conantur, peruincat, augere. Eumdem effectum habet hoc Diuinum ſacramentum. Eſt quippè panis cor hominis confirmans, ne in via ſanctitatis deficiat vſquequo de virtute in virtutem ad videndum aſcendat Deum in Sion. Fatigatus ex itinere, & penè exanimis Elias erat, tantóque oppreſſus laboribus vitæ, vt peroptaret mortem, ne in impiæ Reginæ manus incideret, quæ, perſequebatur eum. Proiecit ſe ſub vmbra Iuniperi, cúmque eſſet ſomno correptus, acceſſit Angelus, & excitauit illum, dedítque ei ſubcineritium panem, & vas aquæ. Comedit, & obdormiuit, & expergefactus tantam fortitudinem indutus ſurrexit, vt ſacra pagina dicat. Ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Oreb. Scatet hæc hiſtoſtoria myſteriis. Quis panis ſubcineritius eſt iſte? Quare ab Angelo offertur? Nónne ſatis eſſet, quod afferretur à coruo, qui aliàs Eliæ miniſtrauerat carnem. Et licet afferatur ab Angelo, cur non ſuaue aliquod edulium detulit, pane, & aqua ieiunare cogit fatigatum Eliam? Ad primum communiter

communiter reſpondent Doctores in pane hoc ſubcinetitio cœleſtem Euchariſtiæ panem adumbrari igne Diuini coctum amoris. Ad.2. ab Angelo, & non à coruo deferri, quia panis hic non eſt moribus nigreſcentium cornorum, qui mortuinis carnibus vitiorum, & peccatorum aluntur, ex quibus renitentes euadere iugiter perſeuerant canentes cras, cras, quod numquam perueniet. Ab Angelo affertur quoniam panis eſt Angelorum, & qui eum miniſtrat, & qui recipit agere debent vitam Angelicam. Ad 3. Reſpondet D. Hieronymus, cuius eſt interrogatio. Reuera non poterat Deus conditum ei merum mittere, & electos cibos, & carnes contuſione mutatas? Ac ſi diceret: non ex Diuinæ potentiæ defectu, poterat quippè mittere ei pretioſa fercula, & dapes ſumptuosè conditas. Vel, vt Tertullianus prænotauit. Poſſet vnum ex Acabi famulis cum fercula Regiæ menſæ portabat Angelus ad Eliam comportare, vt Angelus alius Abacuc ad Danielem. Sed noluit, quia docere nos voluit Dei amicum non oportere pretioſis corpus ſaginare placentis, quod vermibus cras erit in ſepulchro placenta; ſufficit ei, quod comedat, vt viuat, qui non debet viuere, vt comedat. Cœterum cum panis iſte, vt diximus diuini huius conuiuij figura fuerit, qui in eo habet delitias cœli, vt quid quæret edulia terræ? Et qui ſpiritualibus gaudiis abundat, vt quid immundæ carnis impuras voluptates inquirat? Vnde cum Tertulliano dicamus. [Sed conſtitui oportebat exemplum in tempore preſſurę, & perſecutionis Xerophagiis eſſe viuendum.] Ac ſi diceret: In vitæ huius tribulationibus, & laboribus, ne in quærendis eduliis labores, quia non ſunt remedium laborum, immò tunc orationibus,

tionibus, & ieiuniis tanquam præſentatis malorum remediis vtendum.

Verùm ad noſtrum redeamus ſcopum hic ſubcineritius panis igne Diuini coctus amoris, hic eſt panis Angelorum, qui recipiendus eſt puritate Angelica, hic eſt panis cor hominis confortans, & animæ vires adaugens, vt in Dei montem aſcendat, in quo ablato accidentium velo infinitam ſine obice deguſtet dulcedinem, quæ latet modo in hoc myſtico pane. Hic demum eſt panis, qui cor hominis confirmat, atque adeò Sacramenti Confirmationis continet eminenter effectus. Eſt fructus ligni vitæ, qui in Diuini amoris miniſtratur conuiuio, & in ſe omnia bona, quæ poteſt homo deſiderare, continet. O panis, ô fructus Diuine! ô animæ alimentum mirabile. Iure quidem poteſt Elias ſortem felicem, ærumnas, magnámque beatitudinem reputare labores, quibus, vel in vmbra cœleſti hoc pane potiri promeruit. O animæ ſanctæ, quibus callidus Acab mundus videlicet, & familiares eius Cacodæmones nempè, & Ieſabel Regina, caro ſcilicet, quæ voluptati ſenſuum deditos regit, crudele bellum indicunt, hunc panem fortium comedite, hoc cœleſti fructu veſcemini, & timorem expellite, ille vos confortabit, & confirmabit, & in montem Oreb, ideſt in gloriam immunes à malis, & ab hoſtibus ſecuros conducet.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FERCVLVM

Digitized by Google

FERCVLVM VIII.

POENITENTIÆ FRVCTVS, QVÆ antidotum eſt contra peccatum venenum mortis eminenter in hoc ligno vitæ continentur.

NOluit Deus hominem, ſi gratiæ diſſipaſſet ſubſtantiam, quam in Baptiſmo recepit, perditum in tam magna ærumna deſerere. Donum, quod non contulit Angelo, donauit miſero homini de illius compaſſus miſeria. Facilè illi reliquit remedium contra omnium grauiſſimum malum, lethale ſcilicet crimen, leue medicamentum contra grauiſſimam omnium ægritudinem, quæ animam vita gratiæ priuat, & immortali mortem minitatur æternam, tanta eſt huius veneni malitia, vt quæ mori non poſſit interficiat. O mortiferum virus peccatum? ô formidandum, & tremendum malum, ſolum tanti mali vocabulum humano generi incutere debet timorem. Hoc facile remedium, hoc ſalutiferum antidotum, hæc medicina ſuauis, hæc cœleſtis theriaca pœnitentiæ ſacramentum eſt contra omnium malorum infeſtiſſimum malum. Princeps huius ſacramenti effectus eſt diuiniſſimum omnium opus, quæ omnipotens poteſt operari Deus in pura creatura, animam nempè à peccati caliginoſis tenebris in ſplendentem gratiæ lucem educere, efficeréque, vt lachrymula vna vero effuſa dolore, cum vera contritione coniuncta, ita mirabilis in ea transformatio operetur, vt ancilla Dæmonis in Dei filiam mutetur, niger tiſio in ſydus ſplendens, inferno

inferno damnata in regni cœleſtis hæredem, & deníque in ſponſam Chriſti dilectam. Omnes hos diuinos effectus Chriſtus Dominus in verbis illis incluſit. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Venia quippè peccatorum admiſſa emittit omnia illa mala, & admittit omnia iſta bona. [O pœnitentia, exclamat Cyprianus, Quid de te noui referam omnia ligata tu ſoluis, omnia clauſa tu reſeras, omnia aduerſa tu mitigas, omnia contrita tu ſanas, omnia confuſa tu lucidas, omnia deſperata tu animas.]

Omnes hi Diuini effectus in hoc vitæ arboris fructu modo reperiuntur altiore, iſte quippè vitalis cibus inſtitutus fuit à Chriſto Domino ſecundario in remiſſionem peccatorum. Hoc quotidiè in Miſſæ ſacrificio ſacerdotes teſtamur ex ipſius Chriſti verbis dicentes. *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Quod idem eſt, ac dicere Chriſti ſanguinem, qui in hoc mirabili ſacramento propinatur bibendus in peccatorum fuiſſe remiſſionem effuſum. Verum tamen eſt, vt Theologi docent, Sacramentum hoc non fuiſſe ad dandam primam gratiam inſtitutum, quoniàm hæc, vt dignè recipiatur Euchariſtia, quæ bona gratia interpretatur, dignum Dei prærequiritur animam effeciſſe habitaculum, & qui ſine hac veſte nuptiali ad hoc conuiuium accedit, fiet ei theriaca venenum, panis gladius, & vita mors, quod ſummum eſt malum. Nihilhominus tamen, vt Angelicus Thomas, & Eccleſiæ lumen Auguſtinus affirmant, poteſt aliquando contingere, vt ignorantia laborans inuincibili homo reputans ſe eſſe in ſtatu gratiæ, ſine illa ad Euchariſtiam accedat, & ex hoc fonte gratiæ primam gratiam recipiat.

Quamobrem

Quamobrem viuorum cibus, & reſurrectio appellatur mortuorum, & mortua anima, quæ non tam Eliſei corpus mortuum pertingit, ſed Chriſti viuum, & in vitam nouam diuino reuocatur contactu, & mortifero peccati liberatur contagio. Si tandem pœnitentia lachrymarum ſalutifero balneo ſcelerum maculas lauat. Pœnitentia eſt præterita mala plangere; hoc Diuiniſſimum Sacramentum altaris panis lachrymarum vocatur, in quo ſenſu Propheta Rex dixit, cibabis nos pane lachrymarum. O quantum homo contra Deum ſuum patrata crimina plorat, nec modum lachrymis facit, quia, vt ingratus quod tot titulis facere debebat non fecit, ſuam quippè ingratitudinem agnoſcens, nec ſe panem, quo alitur promereri, pro demeritis lugere non ceſſat. Et idcircò, vt mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix in conuiuio hoc, & pedes Chriſti, & labes animæ lauat, lachrymarum aqua peccatorum conficiens antidotum. Hoc nomine à Sacro-ſancto Concilio Tridentino Euchariſtia vocatur. *Antidotum*, inquit, *eſt, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruamur.*

Cùm ergo in hoc Sanctiſſimo Sacramento ſub panis, & vini ſpeciebus tales, támque Diuini ſanctitatis contineantur effectus, in eóque homines tot, ac talibus cœli perfruantur diuitiis nobis licebit dicere cum Propheta Rege. *A fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt.* Hac enim panis ſatione, & vini perceptione, functus hominum creuit, & prouectus aucti ſunt valde, cum in hoc vno ſacramentorum omnium conſequantur effectus. Nec nouum videndum eſt, quod ligni vitæ fructus frumentum ſit, ex quo panis hic conficiatur, cum habeatur apud erinditiſ-

ſimum

ſimum Nouarinus in huius confirmationem myſterij mirabilem arborē 'ſpicas produxiſſe frumenti, nec eſſet fide indignum, quòd digniſſima arborum, lignum ſcilicet vitæ, quod erat in Paradiſo, frumentum, vinum, & oleum ferret, cum de palma quadam, quæ in India Orientali naſcitur, vt referunt fide digni ſcriptores, tot, cum vna ſibi fructus naſcantur, vt illis integra nauis impleatur, quæ ex ipſius etiam arboris lignis fabrefit & dolatur. Quæ igitur mens ita ſui erit oblita boni, vt parui faciat tantum bonum, nec tam diuites conetur adipiſci theſauros, quis ſibi tam inutilis, vt tam magnas deſpiciat vtilitates? Quis non ſtudioſus incumbat tam tenui ſumptu tam diuiti augendo theſauro? Si libertatis, ſi ſalutis, ſi vitæ, & honoris amor cordi eſt ita innatus humano, & horum poſſeſſio bonorum ita dulcis, ita amabilis. Quis omnibus ſuis, & ſenſibus, & affectibus comparare non procurat talem libertatem, vt Dei filius ſit, talem ſalutem, vt melior pars hominis ſalua ſit, talem vitam, vt gratiæ, talem honorem, vt Deum habeat amicum.

FERCVLVM IX.

EXTREMÆ-VNCTIONIS effectus eminentiori modo in Euchariſtia includuntur.

QVartum in hoc ordine Extremæ-Vnctionis Sacramentum eſt, cuius principalis effectus, vt in Tridentino Concilio habetur, pu-

rificare eſt animam à peccatorum reliquijs, timorem pellere mortis, & ad æternæ vitæ ſpem ægrotum erigere. *Vnctio*, inquit, delicta, ſi qua ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleuiat, & confirmat, magnam in ea Diuinæ miſericordiæ fiduciam excitando. Huiuſmodi effectus mirabili modo in eam digni ſuſcipientibus Sacra Euchariſtia operatur. Igne quippè infinito, qui in illa exardet à minima etiam culpa hominum purificat corda, ô quàm puras animas, & vult, & reddit, ô quantum eas, & exornat, & roborat! Venite ad me (omnium laborum leuamen Chriſtus inquit) omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos, ô in quantam æternæ vitæ ſpem, veluti ipſius gloriæ pignus nutantia hominum corda erigit, quoniam, & gloriæ pignus pretio ſuperat gloriam. Diuinus panis hic Diuinæ ſuæ efficacitatis, virtute nos obuallat aduerſùs eos, qui tribulant nos. Et, vt ſcitè Cyrillus inquit. Perturbationes animæ extinguit. Eſt enim Calix ſalutis. Sic illum Regius Vates vocat. *Calicem ſalutaris*, vel, vt Hæbrei vertunt: *Calicem ſalutum*, ideſt noſtrarum omnium ſalutum, & demum ex mente Vgonis Victorini hoc Sacramentum viaticum eſt de exilio ad Patriam.

Angelus Doctor *in ſuppl.* 3. *p. q.* 19. *art.* 4. Cum de Extremæ - Vnctionis Sacramenti materia, & quam conueniens ſit ad effectus, quos cauſat ſignificandos, agit, [Oleum, inquit, lenitiuum eſt, & penetratiuum vſque ad intima & etiam diffuſiuum, & ideo quantum ad vtrumquè prædictorum eſt conueniens materia huius Sacramenti.] Hæc Sanctus Doct. Ac ſi dicat, lenitate ſua ægrotum demulcet, & cum efficacitate dulce.

dulcedinem coniungens, & ad intima penetrans ſuos cum morte luctanti ſuauiter impertitur effectus. Huius modi effectus excellentiori modo, quam oleum, ligni vitæ fructus moribundo homini confert. Eſt quippè ſuauiſſimum, & efficaciſſimum tam corporis, quam animæ medicamentum. Solent, vt plurimùm medici laborantibus morbo mederi acerbioribus ipſo morbo remedijs. Quamobrem non ſemel tanti emere renuunt ſalutem ægroti. Verùm hic ligni vitæ, Mariæ videlicet fructus, mira efficacitate, & ſuauitate omnes ægritudines ſanat. Itaquè infirmus ſibi imputet; non medicinæ ſinon à morbo ſanatur. Quis igitur ita parui faciet ſalutem animæ, quam magni Deus facit, vt tam ſuaue, tamquè efficax ſumere medicamentum recuſat. Quis ſe tanto proſequatur odio, vt tam facili remedio renuat animæ ſuæ ſalutem conſequi. Oleũ effuſum eſt nomen Chriſti, quod vſquè ad intimas animæ medullas pertingit, eamquè confortat, ſolatur, diuinaquè dulcedine, ac ſuauitate demulcet; ô Deus homines amans; ô vtinam diuinus tuus amor myſtici olei inſtar cordis mei duritiem leniret, & intimas animæ meæ penetraret medullas, vt à morbis ſanata vitiorum, & ſuperna illius fulta virtute poſt te currat à periculo immunis vſquequò ſine accidentium velo ſors illi feliciſſima accidat, & te facie ad faciem in patria intueatur cœleſti.

Digitized by Google

FERCVLVM X.

SACRAMENTVM ORDINIS à Sacramento altaris totam ſuam habet perfectionem & complementum.

QVintum in hoc, quem proſequimur ordine ordinis ſacramentum eſt. Ordo eſt Angelicus inquit Doctor, ex Magiſtro ſententiarum *Sup.3.p.q.34.art.2.* definitionem deſumens. Ordo eſt ſignaculum quoddam Eccleſiæ, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato. Effectus huius Sacramenti ſunt hominem conſecrare in Dei miniſtrum ad alta Diuini cultus monitoria poteſtate conceſſa. Hos modo mirabili fructiferæ arboris vitæ Mariæ fructus producit effectus, in his, qui dignè ad edendum accedunt; Diuino quippè cultui nouo quodam quaſi Diuino charactere ab hac menſa conſignati recedunt, lingua enim, & labia, per quæ, & ingreſſus fuit, & ſedit Dominus gloriæ æquum eſt, vt det illi, & laudes, & gloriam. Æquum eſt, vt ipſius ſolis radios puritate antecellant. *Quo non*, inquit Chryſoſtomus, oportet eſſe puriorem tali fruentem ſacrificio, quo ſolari radio, non ſplendidiorem manum carnem hanc diuidentem? os, quod igne ſpirituali repletur, linguam, quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit. Hæc os aureum Chryſoſtomi. Cæterum quamuis Sanctus Doctor de ſacerdotibus loquatur eodem obligationis vinculo laicus, qui hoc Diuino veſcitur pane ad animæ puritatem obſtringitur, O quam diuino cultui dicatum, & conſecratum

Digitized by Google

tum manere debet, quantum diuini amoris accenſum igne cor eſſe debet humanum cum ipſius Verbi Diuini, & ſacra pixis ſit, & ſacrarium. Sacerdotis officium, quamuis ſacerdos non ſit, obire poterit, & vna cum Sacerdote omnium gratiſſimum Deo ſacrificium offerre. Quod ſi ſæpè cum debita diſpoſitione recipiat, quaſi quodam Diuino charactere conſignatus manebit, & æternæ prædeſtinationis ſigno, & pignore inſignitus in gloriam, à Chriſto Rege gloriæ.

Non infimæ notæ ſcriptores affirmant erga Euchariſtiam ſingulari affectione propenſos, inter alios cælicolas ſingulari gloriæ laureola futuros eſſe fulgentes, velut Martyres ex conſortio Domini propter intimam familiaritatem cum Chriſto Rege gloriæ, quod Propheta Rex innuere videtur cum in Pſalmo 49. dixit. *Congregate illi Sanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia*, ideſt, qui illud pluris faciunt, quam omnia veteris ſacrificia legis. Quod aliud eſt teſtamentum Chriſti, niſi hoc ſanctiſſimum Sacramentum? Hic calix nouum teſtamentum eſt. Iubet igitur Deus Angelis ſuis, vt ſeorſim ſingularis gloriæ inſigniis eos, qui ordinant, ideſt debitum Sanctiſſimo huic ſacrificio ſuper omnia ſacrificia præſtant honorem, conſignent, & ſegregent. Quid ergo deſiderari dignius, poſſideri honorabilius, quæ dignitas amari dignior? Et totis viribus, & cordis medullis peroptari? ô Deus homines amans tuam in me ordina charitatem, vt me totum tuo offeram conſecratum amori, ordina in me Diuinos hos effectus, vt tibi omnes meos dignè conſecrare valeam affectus?

FERCVLVM XI.

DIVINVS HIC FRVCTVS, IN QVO cum Chriſto ſpirituale matrimonium conſummatur, ſacramenti matrimonij fructus longè ſuperat, & effectus.

SExtum, & vltimum in hoc ordine Sacramentum eſt matrimonium, cuius principalis effectus eſt duo corpora coadunare in vnum ſecundùm illud. ***Erunt duo in carne vna.*** Non aliter immò mirabiliori modo, & vnione Chriſti caro carni communicantis vnitur. Caro illa Virginea in vtero efformata Virgineo Spiritus Sancti virtute inter gratiæ, & gloriæ ſplendores, caro illa humana verbo copulata Diuino, ſuper choros omnium exaltata Angelorum, ſuper omnes cœlicolas ſublimata, & ad dexteram Dei ſedens eadémque ipſa non ſolum per affectum amoris; ſed in rei veritate, vnione reali coniungitur. Sic docet Chryſoſtomus. [Vt itáque, inquit, non tantum per charitatem, verum etiam ipſa re in illam miſceamur carnem.] Prodigium quidem infinitum amoris, prodigioſus, & infinitus amor? Quò plus Diuina poteſt protendi bonitas? Quo plus humana efferri felicitas? Quam ſublimiorem poteſt creatura ambire dignitatem, quàm cum ſuo creatore ita ſtricto vinculo vniri. ***In me manet, & ego in eo.*** Quomodo igitur Chriſtus eſt in anima, & anima in Chriſto? Chriſtus eſt in anima,

Digitized by Google

vt magiſter eam docens, vt ſtrenuus nauarcus eam gubernans, vt Rex potens eam protegens, vt peritus medicus ei medicinam adhibens, vt [illegible] eam illuminans, vt vitæ alimentum eam alens, & demum, vt ſponſus amans eam demulcens. Illa verò quomodo eſt in Chriſto? Vt dilecta ſponſa intimè vnita, & caſtiſſimis, ac ſuauiſſimis cum ſuo cœleſti ſponſo amplexibus copulata caſtiſſimum, & ſuauiſſimum conſummans matrimonium. O amoris prodigia? ô Dei amantis animas amatorius excelſus! Quo progredi vlterius potuit infinitæ charitatis extremum?

Timorem, & pauorem incutit ſic homines amantem Deum videre. Stupefacit quippè non minus, quam minæ, fauor inſolitus. Nocte quadam ſolus in agro erat Iacob pro cooperculo habens cœlum, pro lectulo terram, & duros pro molli puluinari lapides: Verum qui illecebris carebat humanis propè erat, vt fauoribus perfrueretur Diuinis. Aperitur cœlum, & cœleſtis vſque ad terram deſcendit ſcala, per quam, & deſcendunt, & aſcendunt angeli. Spergeſit Iacob, & magno correptus timore cæpit clamare: *Terribilis eſt locus iſte*, non eſt hîc aliud, niſi domus Dei, & porta cœli. Cur verò Iacob tam inſolito terrore teneris. Numquid mortem tibi minitatus eſt Deus, numquid aduersùs te iratum vidiſti? Non ita, immò manſuetum, & mitem, & innixum ſcalæ, & dicentem tibi: *Benedicentur in te, & in ſermone tuo cuncta tribus terræ*. Cur ergo pauore corriperis? Numquid, quia gloriam, angelos domum Dei, & cœli portam vidiſti? Rei arcanum eſt. Poſtulaueras à Deo Iacob panem, quo veſceretur, & veſtimentum, quo operiretur. Et dederit mihi parum ad veſcendum, &

Digitized by Google

veſtimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum. Cumquè dona, quæ ei Deus conferebat, videret; & in cæleſti ſcala illa è cælis Deum in terram deſcenſurum præuideret certior factus fuit, in tam ineffabilis beneficij ſpe. Dixitquè. Si promiſſis tuis ſtas Deus nil mihi reſtat optandum. In hoc Deum meum eſſe cognoſcam. Hoc quippè donum ita Deo dignum eſt, vt in nullo alio quantus ſit, poſſit æquè oſtendere. Itaquè beneficij huius magnitudo tantum illi incuſſit timorem, vt in clamorem prorumperet dicens. *Terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cæli.* Quæ eſt domus Dei, niſi Eccleſia Sancta? in qua hic diſtribuitur panis, quem ardenti affectu deſiderauerat Iacob. Hic ex mente Ruperti Sacramentum altaris eſt, id appetebat Iacob. Si Dominus dederit mihi panem ſcilicet vitæ æternæ, de quo dixit. *Et panis, quem ego dabo vobis, caro mea eſt pro mundi vita.* Panem intelligentiæ, de quo dixit. Non in ſolo pane viuit homo; ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei; panem quoquè, quem ſolus ipſe producat de rore cæli, & de pinguedine terræ. Hæc Venerabilis Abbas. Super hoc miratur Iacob: ſuper ita mirabili dono: hoc illum pauere facit, dignus pauore fauor. Hominem à Deo peramari, nuptias Deum cum homine celebrare, & per hunc myſticum panem ita intima vnione Deum cum homine copulari, vt Deus in illo, & ille in Deo ſit: Opus admiratione, & pauore digniſſimum inter omnia, quæ operatus eſt Deus. Quod Booz pauperem fæminam alienigenam in vxorem ducat?, & omnium bonorum ſuorum participem conſtituat, æſtimatione dignum donum eſt. Quod Dauid Abigailem eligat, & quæ priuati hominis

vxor

vxor fuerat, nuptias cum potentiſſimo contrahat Rege, feliciſſima procul dubio ſors. Quod Aſſuerus captiuam Eſtherem ad tam ſublimem dignitatem eleuet, vt vxor illius ſit, & tot prouinciarum Domina incomparabile beneficium fuit. Verùm omnia hæc beneficia quis cum hoc ſingulari beneficio componere, vel comparare audebit? Per quod Deus animam hominis ſibi in ſponſam deligit,& eligit? Per quod Dominus cæli, & terræ nuptias cum anima celebrat? & vilem vermiculum intima ſibi coniungit vnione? Quid vltra potuit facere, inquit noſter Euſebius, immenſa bonitas? Quem vlteriorem habere termi-num amor infinitus? Qua gratitudine hæc amoris veritas, hic verus amor, hæc amatoria extaſis poterit rependi? Mille promeretur gratias, mille laudes, mille obſequia, admirationes, & amores mille.

FERCVLVM XII.

IN CONVIVIO ABRAHAMI exhibito Angelis palam fecit Deus, quàm magnum hominibus in hoc cæleſti conuiuio exhibeat honorem.

MEridie in calidiore parte diei, in feruore diei, vt in ſacro textu habetur ſe Deus Abrahamo exhibuit videndum; feruores enim obſequentium Deo Diuinos conſequuntur fauores. Sedebat ad domus ſuæ ianuam, vt videret an peregrinus aliquis tranſiret, cumquè pietatis, &

Digitized by Google

miſericordiæ munus poſſet excercere, & diuinæ miſericordiæ ianuas inuenit apertas; quamobrem per eas ipſa beatitudo introiuit. Cumquè leuaret oculos tres ſpecioſos iuuenes coram ſe vidit. & mox ſine mora vt de more habebat, magna ſedulitate (moroſis quippè greſſibus non peruenitur ad Deum, cucurrit ad illas, & adorauit, & reuerenti humilitate, & humili reuerentia dixit eis, Domine. Non dixit Domini; in tribus enim vnum ſolum Dominum, vnum ſolum adorauit Deum. Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum. Obſequium quippè, quod præſtare vult præſtitum ſibi beneficium reputat, honorem exiſtimat, eſt quidem ſummus creaturæ honos, quòd Creator illius eam in ſuum obſequium admittat, eſt inæſtimabilis fauor Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis ne tranſeas ſeruum tuum, ac ſi diceret: Ne Domine tanto me priues honore, ne me ſeruum tuum prætereas, hoſpes meus, & conuiua ſis in domo mea. Afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes veſtri, & requieſcite ſub arbore. Res quidem plena myſteriis Nonne iſti tres Angeli tres Diuinas adumbrabant perſonas; nonne ſecunda Filium Dei, qui mundo vitam erat daturus in Crucis arbore figurabat. Cur igitur inuitat eum, vt ſub arboris vmbra requieſcat, quæ Crucis, & Paſſionis vmbra fuerat, nonne ibi memoriam ſubeundæ renouabit Paſſionis? ô vera Diuini amoris probatio, cui pati requieſcere eſt. Aqua, in qua lacrymæ ſignificantur Chriſti pedes lauando peccatoris pænitentiam deſignat, & earum figuræ ſunt, quæ mulier peccatrix effudit, & quibus Chriſti pedes perfudit. Itaque peccatorum contritio, & pro illius amore laborum pænitentiæ perpeſſio Chriſti

hominis

hominis amantis requies eſt, lætius, & dulcius conuiuium eſt. Dixit item Abraham. Ponamquè buccellam panis, & confortetur cor veſtrum, poſtea tranſibitis. Panis confortans cor hominis, quis & qualis ſit, docet nos Propheta Rex *Pſ.* 110. Ibi gloſſa, & communiter interpretes ſacri de Sacramento altaris ſacrum vatem loqui conſentiunt.

Omnia quæ in hoc Abrahami exhibito Angelis conuiuio inueniuntur, illud nobis inſinuant, quod Filius Dei hominibus exhibuit. In valle Mambre, quæ humilitas interpretatur, vt enim homo ad tantæ dignitatis efferatur faſtigium, nullum aptius, quàm humilitas ferculum. Sub arbore, vt inſtruat nos, quod pretioſa, & ſuauis buccella, quæ in hoc miniſtratur conuiuio ab arbore Crucis pretium, & ſuauitatem mutuatur, quodquè theriaca ſit contra venenum illud quod virulentus ſerpens in arbore ſcientiæ boni, & mali, vt homines necaret, euomuit. Promiſit illis panis miniſtrare buccellam, treſquè ſubcinericios, in quibus tres diuinæ ſignificantur perſonæ, obtulit panes. Id eſt mirandum, ea eſt magnitudo myſterij quod in vna panis buccella, in paruula hoſtia lateat Filius Dei, & tota Trinitas ſanctiſſima lateat. Licet enim qui virtute verborum ſub panis, & vini accidentibus ſuam humanitatem abſcondit, ſolus ſit Filius Dei. Verùm cùm inquantùm Deus eſt eandem cum Patre, & Spiritu Sancto eſſentiam habeat, neceſſarium eſt, vt vbi Filius ſit, & Pater, & Spiritus Sanctus comitentur eum, quoniam inter ſe inſeparabiles ſunt. Vitulum tenerrimum, & optimum veſcendum dedit eis. Tenerum cor, & quod Dei teneatur amore donum Deo gratius eſt; & ſummo bo-

Digitized by Google

no offerri debet, quod optimum eſt. Lac potandum præbuit, & ex lacte butyrum, quod lactis, quaſi flos eſt, lac animi puritas eſt, & butyrum voluntas, quæ Deo tota offerenda eſt. Vitulus tenerrimus, & optimus Chriſti figura fuit, qui in hoc Diuini amoris conuiuio ſe hominibus veſcendum dedit. Vitulus ſaginatus ſæpè à Sanctis vocatur, lacquè dicitur, quia panis pinguis eſt Virgineo lacte ſubactus, & à D. Chryſoſtomo lac de Chriſti pectore manans appellatur, flos Virginei lactis cibus eſt iſte cæleſtis, in quo delitiarum Dei optimum eſt, ob idquè à Doctore Angelico ſuauiſſimum vocatur butyrum, in quo ſcilicet ſuauitatum omnium fons eſt.

Cæterum ſubcineritij panes, vitulus, lac, & butyrum, quo modo Angelis puriſſimis ſpiritibus cibo inuiſibili vtentibus res corporales cum ſint, poſſent præbere delitias? Ego, inquit Angelus ad Tobiam, *c.* 12. cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt vtor. Quomodo ergo corporeo delectantur cibo. Myſterij cauſa eſt. Ita Angeli homines, quia à Deo amantur, amant, vt hoc conuiuio Abrahami ſummè delectati fuerint eo ſolum, quod conuiuij à Chriſto hominibus exhibendi vmbra, & figura fuerit. Hæc ſola eos lætificauit memoria, ideò illis corporales, & viſibiles cibi, licet inuiſibili vtentibus pergrati fuere, ob idquè tres Diuinas repræſentantes perſonas huic adfuere conuiuio, & hoc ab Abrahamo obſequium receperunt, & ille hoc ſummum honorem Angelos in hoſpitio recipiens.

Verum, vt propiùs ad rem noſtram accedamus, ſi ita magnum, ita magnifaciendum beneficium, & honor fuit, ab Angelis Abrahamo exhibitum quòd eius eſſent conuiuæ, & quòd ad

Digitized by Google

eius menſam ſederent, quantum beneficium, quantus, & qualis reputabitur honor Dei eſſe conuiuam, & ad eius menſam ſedere, & ipſum Deum in ſuauiſſimum vitæ alimentum habere. Numquam terrenus Rex tanto fuit ſeruum ſuum, immò nec filium proſecutus honore, & ſola infinita bonitas tantum potuit exhibere extremum amoris. Nec humanus, nec Angelicus intellectus capere poſſet, immò nec deſiderare auderet, nec eſſe poſſibile crederet altiſſimum hoc fidei myſterium, niſi ipſa fides non ſolum poſſibile; ſed effectum, & operatum doceret. Hic Dei infinita attributa, quidquid Deus poteſt compleuerunt. Quæ obſequia hunc ſufficient rependere amorem, qui amores hunc amorem? Quamquam tot nobis corda, quot arboribus folia, auibus pennæ, mari arenæ, & ſoli atomi eſſent, hoc non valerent beneficium perſoluere. Inter finitum enim, & infinitum nulla poteſt intereſſe proportio. Quod igitur genus ingratitudinis erit? Nolle hominem cor vnum Deo tradere, cui ſi millia millium amaret, infinita adhuc deberet. Sumus verò ab antidotali ita remuneratione remoti, vt vix accepti beneficij recordemur. Numquam Deus pro Seraphicis cæli ſpiritibus id, quod pro viliſſimis terræ vermiculis fecit, non ſunt illi tanti debitores amoris, & Dei incenduntur amore. Defle ergo anima mea ingratitudinem tuam, teporem tuum, frigiditatem tuam, Reuerentiam exhibe Deo ita magno, & amorem ita ardenter te amanti? Vbi vrbanitas? vbi comitas eſt? quibus inter ſeſe inuicem ſolent homines reuereri, cur hanc obligationem non adimplere, ita juſtam, ita debitam, non erubeſcis? licet te Deus ſolum creaſſet, & quod habes eſſe dediſſet totum te ei, à quo totum habes

habes date deberes. Cor quippè creaturæ cui iure potiore ſoluere debet tributum amoris, quam ei, à quo poteſtatem habet amandi. A tali què manu, à tantóque Deo eſſentiam habere, magno nos debito obſtrictos debet habere. Verum poſtquam nos creauit ex nihilo, talia, vt noſtrum amorem excitet, nobis ſigna oſtendere amoris, & tot mirabilia operari, omnem ponderationem excedit. Quid amplius pro Deo alio, ſi poſſibilis eſſet, quã pro miſerabili homine fecit, operari valeret? Quid amplius pro vnigenito Filio ſuo quàm pro vili, & mortali ſeruo. Quid amplius pro ſe ipſo ſi ab hoc illius beatitudo penderet.

FERCVLVM XIII.

QVOD IN NVLLO ALIO opere ex his quæ Deus pro hominibus fecit, ita ſuorum attributorum magnitudinem palam fecit, ſicut in hoc conuiuio, quod hominibus fecit.

MAgnus, ac potens Rex Aſiæ Aſſuerus, potentiæ ſuæ liberalitatis, magnificentiæ, & gloriæ cum vellet magnitudinem oſtendere. Aurum quippè, & argentum in arcis cuſtoditum, nec in bonum regni diſtributum è fodinis fuit erutum in vanum. Noluit diuitias ſuas magnificis, ac ſumptuoſis Coloſſis oſtentare, terræ monumenta infæcũdæ, quæ proceritate ſua in aëris regionem elata, non tam diuitias, quam vanitatem eius, qui cum terrenus ſit, terrenis ædibus gloriam quærit, declarant

declarant. Prudentia majore gloriam ſuam patefecit ſeruis ſuis lautum conuiuium exhibens; Ille quippè, qui ſuis alimenta diſtribuit, boni Principis munus adimplet. Nemus regia ſua manu conſitum conuiuio locum elegit, vbi capere ſolatium ſolebat, vt quod Regi fuerat ſeruis ſuis etiam eſſet ſolatium, & requies. In veſtibulo nemoris, vnde amænitate, & pulcritudine illius poſſent conuiuæ potiri, ſtratæ ſunt menſæ. Quidquid fuit natura, vel arte pulchrum aliquando repertum locum exornabat amænum. Mapparum color niuis ſuperabat candorem, aurea, & argentea ſupellex in pulchris ſplendebat abacis. Ad conuiuarum illecebras, tellus obtulit fructus, & pecora, volucres aër, & piſces mare, & quidquid deſiderare appetitus valuit natura dedit, & ars condiuit. Vtque poſt prandium meridiano ſomno indulgerent, præparata erant tentoria, aerei, carbaſini, & hyacintini coloris ſuſtentata funibus byſſinis, atque purpureis, qui eburneis circulis inſerti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoquè aurei, & argentei ſuper pauimentum ſmaragdino, & pario ſtratum lapide diſpoſiti erant, quod mira varietate pictura decorabat. Verba hæc omnia deſumpta ſunt ex textu ſacro. In hoc ſpecioſiſſimo loco potentiſſimus Rex Aſſuerus ſumptuoſiſſimum omnium, quæ ſiue in humanis ſiue in Diuinis litteris inueniuntur, vt magnæ ſuæ gloriæ oſtenſionem faceret, conuiuium fecit. Per ſeptem celebratum fuit dies, & quamuis conuiuarum numerus magnus eſſet, omnéſque in calicibus aureis biberint; noua ſemper ad bibendum inferebantur vaſa. Quæ omnia ex ſacra pagina conſtant.

Vmbra fuit Chriſti Aſſuerus. Aſſuerus, vt gloſſa

gloſſa interlinearis inquit, Chriſtum Dominum oſtendit nomine,& dignitate, interpretatur enim oſtium: Chriſtus autem dicit. Ego ſum oſtium, per me ſiquis introierit, ſaluabitur. Ioan. 10. & doctiſſimus Lira ait. Aſſuerus interpretatur beatus, Chriſtus autem non ſolum beatus eſt; ſed Sanctorum beatitudo: In ſumptuoſo, & regio conuiuio, quod Principibus, & fortiſſimis ducibus regni ſui exhibuit: vt fine quo motus fuit ad illud exhibendum: in loco in quo exhibitum fuit in tempore tam exhibitionis quàm durationis: in magnitudine, & magnificentia: in conuiuarum nobilitate: in regio apparatu, quo celebratum fuit in his omnibus conuiuium hoc Regis Aſſueri, vmbra, & figura fuit conuiuij Regis Chriſti.

Finis qui mouit Aſſuerum, vt tanta ſumptuoſitate conuiuium pararet, vt habetur ex textu ſacro fuit. Vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem, atquè iactantiam potentiæ ſuæ. Quarè ergo Rex gloriæ Chriſtus Diuinum hoc conuiuium parauit, quem finem, vt pararet habuit. Princeps ſcopus fuit Diuinorum ſuorum gloriam attributorum oſtendere; potentiæ ſcilicet infinitæ, interminabilis Sapientiæ, & bonitatis immenſæ. Quæ mens, vel humana, vel angelica potentiam poterit maiorem concipere illa, quam Deus in opere oſtendit, quod omnia, tam naturæ, quam gratiæ opera, quæ Deus fecit, vel poterit facere ſupra modum excedit, quodquè nullus humanus, vel Angelicus intellectus, niſi operatum videret, poſſibile exiſtimaret. In quo potiùs potuit Deus infinitæ ſuæ ſapientiæ propallare theſauros, quàm ex puriſſima carne ſua Diuinæ vnita perſonæ contra veneno peccati infectam carnem Adami Diuinum conficiendo theriaca? Eúmque,

qui

Digitized by Google

qui vetito fructu ægrotauit vitæ fructu ſanando, vt qui per edulium perierat, lucraretur edulio? In quo potuit Deus plus notam mundo facere bonitatem ſuam, quam ſeipſum tam ſtricta, & intima vnione, tam ingratæ, & rebelli, vilique, vti eſt homo, communicando creaturæ. Bonum eſt diffuſiuum ſui, & eò plus ſe diffundit, quò maius eſt. Quem Filius Dei, vt ſummum ſatiaret affectum non minore communicatione contentus, & ſatiatus eſt, quàm ſuum corpus, ſuam animam, ſuam Diuinitatem, omnéſque, quos à Patre habet homini prodigendo theſauros. Pretioſa, ac ſuauis buccella hypoſtaticæ vnionis, quam humanitati eius Verbum communicauit Diuinum, quoniam omnibus humanæ naturæ indiuiduis communicari non oportebat, vt omnes homines, qui vellent, illa potirentur, decreuit. Ad ídque myſticum hoc conuiuium inſtituit, vbi in edulio vno eandem ſuam humanitatem Verbo vnitam Diuino, mirabili modo elargitur, vt mirando fruantur fauore. Dicere poteſt melius, quàm Iob c. 30. *Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea:* Poſſet Chriſtus Dominus hunc ſibi ſoli reſeruare fauorem, hunc ſibi ſoli reſeruare poſſet honorem, nulliſque humanæ naturæ partem dare indiuiduo. Verùm tanto hominum amore tenetur, tam tenerè homines amat, vt viſcera miſericordiæ eius mirabili hoc incommunicato fauore non patiantur potiri. Itáque Chriſti nomine in eodem loco Iob cauſam addidit dicens: *Quia ab infantia mea creuit mecum miſeratio, & de vtero matris mea egreſſa eſt mecum.* O Deus hominem amans quò vlteriùs progredi potuit infinita tua bonitas, quàm, vt ei tuam elargireris diuinitatem? Ei qui ſeipſum dat quid amplius

amplius dare fas erit? Qui omnia ſua Diuina in demulcendo hominem expendit attributa, quid ei reſtat pro illius amore faciendum? O vtinam nos totos ita verè nos amanti Deo infinito traderemus amore! O vtinam totis viribus, toto corde, mente tota ſic nos amaremus amantem.

Si locum, in quo Aſſuerus conuiuium fecit, intueamur, Chriſti nobis repræſentat Eccleſiam. Fuit autem hortus manu regia plantatus, & cultus. Quod regio cultu, & manu, vt ſacer inquit textus conſitum erat. De Eccleſia dixit Paulus, *quam plantauit ſanguine ſuo*. Chriſtus videlicet. Quod Eccleſia ſit Paradiſus iam ſupra diximus, & ex Tertulliani mente transferri à Deo Adamum à loco, in quo creatus fuit in Paradiſum idem fuit, quòd à mundo transferri in Eccleſiam. Vt, inquit, *Lib 2, contra Marcionem*. tanquam totius orbis poſſidens in amænioribus moraretur tranſlatus in Paradiſum iam tunc de mundo in Eccleſiam. Eſt quidem hortus, & Paradiſus Eccleſia, plantauit eum Chriſtus, rigauit ſanguine ſuo; ô quàm pretioſa irrigatio! Crucis arauit aratro. O quot ſudores, quot pœnas, & dolores vt hanc panis colligeret meſſem, & hoc ſumptuoſum hominibus conuiuium pararet diuinus eſt præuiſus agricola! Tanti emptum edulium à Deo: Et in vultus ſanguineo ſudore panis comparatus à Chriſto æquum eſt, vt ab homine paruo ſaltem comparetur labore. Virtutes ſerat in Paradiſo animæ, vt Chriſti ſit Paradiſus, colat eam mortificatione, lachrymis irriget, pœnitentia, & corporis maceratione aret, vt cum fructu Diuinum hunc percipiat fructum.

Si temporis durationem contemplemur, ſeptem diebus celebratum fuit Aſſueri conuiuium;

&

& quod Chriſtus ſuis fidelibus fecit, idem habiturum eſt durationis ſpatium. Sicut enim Interlinearis dicit. Hoc eſt toto tempore huius vitæ, quæ ſeptem diebus agitur. Vel, vt expreſſiùs habetur apud Liram vſque ad conſũmationem ſæculi ſecundùm illud Chriſti. *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* In hoc tenerum, ac ſummum, quo homines amat Chriſtus Dominus oſtendit amorem, voluit eos ſemper demulcere, & in eis demulceri. Modum inuenit (diuinus, cum docuit amor) quo, & cœlum peteret, & maneret in terra. abeſſe enim ab homine, quem ſic amabat ferre non valuit amans cor eius, quaſi plena beatitudine perfrui non poſſet in cœlis, niſi delitias ſuas cum filiis hominum haberet in terris. Quis ergo delitias alias quæret, gaudia alia deſiderat, aliámve exoptat beatitudinem, nec cœlum aliud, quam Dei amantis homines amoribus ſemper potiri.

In multis aliis Aſſueri conuiuium, Chriſti conuium adumbrauit. Ornatus enim loci, in quo celebratum fuit regia dignus magnificentia fuit. Et, vt apud Liram habetur in eodem Regis palatio factum fuit, quod pretioſiſſimis Iaſpidibus, & marmoribus conſtructum aureis, & argenteis columnis fultum, pulchra pretioſorum lapidum varietate fulgebat fornicéſque eius adamantibus & rubinis, & omnium lapillorum ſplendentium genere cælum ſtellis æmulabatur ornatum Quæ omnia virtutum nobis inſinuant ornatum, quibus prælucere debent qui Chriſti Domini optant aſſidere conuiuio; cœleſti quippè, vt perfruantur conuiuio, vita debent ſplendere cœleſti. Magnitudo demum conuiuij, conuiuarum nobilitas, idem nobis repræſentant. Conuiuij magnitudo,

magnitudo, Chriſti enim conuiuium cœna magna vocatur. Conuiuium nobilitas. Principibus, & pueris ſuis, qui Principes erant, & ſerui à Rege dilecti, eíque familiares, & in Chriſti conuiuio, quod regium conuiuium eſt omnes qui aſſident Reges ſunt. Ita de Aſſer vaticinauit Iacob *Gen.* 49. *Aſſer*, inquit, *pinguis panis eius*, & præbebit delitias Regibus. Reges iſti illi ſunt, vt ſentit Rupertus, qui hoc pingui pane veſcuntur. Multa poſſent circa hæc puncta tractari, omittimus tamen breuitatis amore, ne diffuſiùs euagetur diſcurſus. Verùm ne in tanti beneficij, tanti amoris, tanti collati à Deo honoris gratitudine parci ſimus, & à Chriſto inuitati omnes ſenſus, & potentias noſtras, omnéſque mundi creaturas, vt laudibus extollant, vt benedicant ita amabilem, ita liberalem Regem, inuitemus.

FERCVLVM XIV.

QVOD CONVIVIVM FILIO PROdigo à miſericorde ſuo exhibitum patre miſericordiam, & prodigalitatem nobis exhibet, quibus Chriſtus hoc Diuini amoris nobis conuiuium exhibuit.

IN paucitate annorum multa nequit experientia reperiri; huius abſentia facit, vt qui experientia careant, audacia in periculis tumeant. Et vbi matura ætas prudenter timet, inexperta iuuentus ſe imprudenter præcipitat. Homo quidam, habetur apud Lucam *c.* 15. habuit duos filios, iam vnde

vndè curis angeretur habebat. Et dixit adoleſcentior ex illis patri. Pater da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit; Periculoſam maluit libertatem, quam patris obedientiam ſecuram. Subſtantiæ portionem petiit illius, & ſuam non timens perditionem. Noluit pater petitionem denegare, quia diſplicent ei obſequia coacta liberum habentis arbitrium: licet eo in perniciem ſuam abuſurum non ignoraret. Tradidit illi ſubſtantiam ſuam, & non multos poſt dies patris domum dereliquit. Abundantia quippè terrenæ ſubſtantiæ, cœleſtis faſtidium parit. Abijt in regionem longinquam, vbi abſque paterno conſortio, abſque correctione, & ſalutari diſciplina eius, diſſipauit omnem ſubſtantiam ſuam viuendo luxuriosè, & luxuria, quæ ignis conſumens eſt, omnia eradicans germina, omnia illius bona conſumpſit. Et poſtquàm omnia conſũmaſſet facta eſt fames valida in regione illa & ipſe cœpit egere, & abijt, & adhæſit vni ciuium illius regionis, & miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos, Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Oculos, quos clauſerat culpa, aperuit pœna, vt quò eum vitia deduxerant agnoſceret, experientia enim malorum multa ſolet afferre bona. In ſe autem reuerſus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo. Miſeriam agnoſcere greſſus eſt ad fœlicitatem. Surgam, dixit, & ibo ad Patrem meum, & ſedula feſtinatione, quæ proſperitatis eſt mater ſanum propoſitum adimpleuit. Cognouit reditum pater, & properans obuiam iuit ei, ne maiore ſedulitate filius remedium quæreret, quàm pater daret. Vidit eum à longè, quem propè habebat

bebat in corde, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum, dixítque ad ſeruos. Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur, quia hîc filius mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus eſt.

Prodigus hic peccator eſt, qui partem ſubſtantiæ ſuæ, gratiam ſcilicet Dei, quam in Baptiſmo recepit viuendo luxuriosè diſſipauit; redit ad Deum patrem ſuum per pœnitentiam, venit, & inuenit brachia extenſa miſericordiæ eius, quam nemini claudit, à qua neminem excludit, ſi vera contritione de præteritis doleat, & futura præcaueat; Stola prima, & Diuino fulgente ſplendore induere eum iubet, gratia ſcilicet Dei, quæ Diuinitatis ſplendet fulgore. Iubétque ſumptuoſum ei parari conuiuium, in quo diuinum hoc ſacramentum præfiguratur, in quo ille ad æternæ vitæ alimentum ad immenſæ illecebras gloriæ, ad ineffabilis gaudia dulcedinis vitulus ſaginatus offertur, de quo aurea inquit lingua Chryſologi. [Communis vitulus non ſufficit, niſi fuerit pinguis, niſi fuerit ſaginatus, vitulus pinguis teſtatur paternæ pinguedinem charitatis.] Quæramus verò à Doctore Sancto, cuius typus ſit vitulus iſte pinguis, & ſaginatus? In ſupra citato loco reſpondet. [Mortuus filius vituli ſuſcitatur ex morte, & vnus vitulus totius familiæ funditur in ſaginam.] Hæc Chryſologus. Verum quis vitulus mortuus vitam præſtat mortuis? niſi Chriſtus, qui in hoc vituli cibo repræſentatur mortuus, quis vitulus totam ſuam ſacram familiam, quæ Eccleſia eius eſt, ſaginat, niſi Chriſtus, qui in hoc Di-

uini

uini amoris conuiuio generi ſe dat manducandum humano. Duo hîc prodigi ſunt contemplandi, & filius, & pater, & iure quidem dubij eſſe poſſumus quis eorum majore ſe prodigalitate diffuderit, filius in diſſipanda ſubſtantia, pater in cõmendanda ei à quo ſciebat fore diſſipandam patre, & benefactore oblito. Et quod mirabile eſt magis poſtquam ſe, & bona prodigerat, & perdiderat, dedit ei amplexus, dedit ei oſcula, dedit ei cor, ſuúmque concedit amorem, induit, & cohoneſtauit, & ditauit ſumptuoſúmque conuiuium fecit, & magna liberalitate demulſit; hoc eſt fuiſſe prodigum ſui. Cæterùm, quòd in filio vitium, in patre virtus fuit, fuit amor, fuit miſericordia, fuit pietas. Cum prodigus promerebatur ſupplicia, miſericors pater donat brachia; cum promerebatur flagella rigoris, præbet ei oſcula amoris; cum promerebatur verbera, loquitur ei plena charitatis verba, cum promerebatur, vt domus ſuæ illi clauderet ianuas, apertis miſericordiæ iubet ei in ea ſolemne parari conuiuium. Sic ſe habet cum peccatore Chriſtus, ſi verè de peccatis doleat cum miſericordia eum recipit, cum pietate amplectitur, demulcet cum amore, & liberalitatis ſuæ ianuis apertis ad ſacram Euchariſtiæ menſam inuitat, & in ea donat ei ad edendum corpus ſuum, animam ſuam, & diuinitatem ſuam cum omnibus bonis, & donis ſuis O immenſa Diuini prodigalitas amoris? ô Deus homines amans, quare homines te non amant? Quid ego faciam ignoro, vt tanti amoris, tantæ liberalitatis, tanto prodigalitatis debito ſatisfaciam. Si enim ob calicem aquæ frigidæ, vt hauritur ex fonte nullo facto ſumptu, nec labore aſſumpto ad eam calefaciendâm, ſi enim ob calicem aquæ frigidæ in tuo

propinatum

propinatum nomine cœlum mihi promittis, quid ego tibi retribuam ob corpus tuum, ob animam tuam, ob Diuinitatem tuam, ob omnes theſauros tuos, & inſuper cum te ipſum totum in hoc mihi tradideris diuini amoris conuiuio? Dona igitur mihi quod redonem tibi: ſed, vt quid quæro quid donem, cum te Deum meum, & omne bonum habeam; te ipſum, ſi tibi reddam, nec maius, nec gratius poſſum donum offerre, nec tu à me deſiderare, nec petere.

FERCVLVM XV.

QVOD IN CONVIVIO FACTO IN deſerto quatuor millibus hominum, quod poſtea Chriſtus in Euchariſtia fecit, repræſentauit.

NOn ſequitur ſine humani, & Diuini lucri ſtipendio, qui ſequitur eum, qui ſimul Deus, & homo eſt, námque, vt hmo compaſſionem, vt Deus exhibet remedium. *Marci* 8. Verborum ſuauitate, & vtilitate Doctrinæ attracti Chriſtum ſecuti ſunt in deſertum quatuor millia hominum exceptis pueris, & mulieribus. Cum Chriſto, & in deſerto propè ſunt vt cœli beneficiis potiantur. Animi ineſcati dulcedine, corporis obliuiſcebantur inediam; & deficiente alimento non defecit eis amor, vt ſequerentur Chriſtum, nec ſpes, vt neceſſitatis conſequerentur remedium. Cognouit indigentiam Dominus, &, vt maius eſſet beneficium præuidit, & prouidit auxilium

auxilium opportunum. Et antequàm fame preſſi illi ſuam manifeſtarent miſeriam, ipſe ſuam voluit manifeſtare miſericordiam, & ſuis conuocatis diſcipulis dixit eis. *Miſereor ſuper turbam quia triduo iam perſeuerant mecum, & non habent quod manducent; ſed ſi dimiſero eos ieiunos deficient in via, quidam enim ex eis de longè venerunt.* Obit Chriſtus optimi Principis munus, ſatagit, vt ſeruis ſuis alimenta præbeantur, & præmia, & qui cum in huius vitæ deſerto ſequuntur, mercedem obſequij ſui in cœlo conſequantur, nec eo defraudentur in terra. Reſponderunt diſcipuli. Vnde illos quis poterit hîc ſaturare panibus in ſolitudine. Defectum panis ſentiunt, quia fidei præſenſerunt defectum, ſine qua omnia deſiderantur, cum qua abundant omnia. Interrogauit Chriſtus, quot panes habetis? Reſponderunt ſeptem & paucos piſciculos. Septem panes iam in numero innuunt myſterium; qui in diebus ſeptem vniuerſum condidit, illúdque alit, optimè etiam poterit quatuor millibus hominum ſeptem panibus alimento præbere ſicut vice alia quinque panibus, & duobus piſcibus quinque millia aluit. Iuſſit multitudini, vt diſcumberet ſuper terram; Interea quippè humiliari optima diſpoſitio eſt ad cœleſtia beneficia accipienda; Septem accepit panes in manibus terra omnium fructuum, & bonorum fœcunda, & gratias agens, vt nos Deo patri qui nos alit gratos eſſe doceret, fregit panes in partes, nam bona ad ſubueniendum neceſſitatibus partiri, certior eſt augendi modus. Et dabat diſcipulis ſuis, vt apponerent, vt eos honoraret, & nos doceret per miniſtrorum eius manus nos diuina beneficia, & bona accepturos fore. Habebant etiam piſciculos paucos; parum ſufficit ab

Digitized by Google

homine ablatum, vt Deus oblatam non ſinat præterire occaſionem benefaciendi homini, & non parua beneficia elargiendi, benedixit eis, iuſsítque, vt multitudini diſtribuerentur. Manducauerunt, & ſaturati ſunt, & ſuſtulerunt quod ſuperauerat de frumentis ſeptem ſportas.

Præfigurauit in hoc conuiuio Chriſtus, & in hoc diuinitus multiplicato pane in ſuis Diuinis manibus, diuinum conuiuium, quod nocte cœnæ fecit, & inquo corpus ſuum hominibus manducandum dedit. Si in hoc panem miraculo factum fecit, in illo omnium mirabilium ſuorum memoriam fecit. Sic panis hic datus eſt multitudini, ne deficerent in via, & vt poſſent in vrbes, & domos ſuas redire, De cœleſti pane corporis Chriſti Diuus dixit Hieronymus. Qui ſine cœleſti pane ad optatam manſionem peruenire feſtinat, periclitatur. Eſt quippè ſubcineritius panis, quem Eliæ Angelus attulit, cuius roboratus virtute ſine alimento alio quadraginta dies, & quadraginta noctes ambulauit vſque ad montem Dei Oreb, & hoc ſubſidio confortati ambulare valebimus vſque ad cœleſtem Hieruſalem. Quam grato animo, & beneficij accepti memores eſſent quatuor millia hominum in deſerto illo tanto amore inuitati, tanta liberalitate aliti à Chriſto Domino. De aliis quinque millibus alia vice ab ipſo Domino quinque panibus ſatuiatis Apoſtolus Ioannes affirmat ob acceptum beneficium Chriſtum voluiſſe eligere in Regem. Et cauſa fuit, vt Dinus teſtatur Chryſoſtomus, quia eos aluit illo diuinitus multiplicato pane [Cibus hic, inquit, tot hominum corda permouit, vt Chriſtum Regem crearent.] Hæc D.Chryſoſtomus. Cum igitur corpori exhibita beneficia gratitudine recolenda ſint, quanto magis

magis animæ; Si terrenum alimentum, quanto magis cœleſte; Si panis in furno decoctus, quanto magis à cœlo deſcendens, & in vtero Virginis hominum deliciis præparatus. Verùm in hoc miraculo, quo Deus in deſerto tot hominum millia ſaturauit, quod gratitudine, & retributione digniſſimum eſt, proculdubio eſt, amor, & liberalitas, qua cum ſine numero, ſine pondere, & menſura panis diſtributus fuit, ſine limitatione vſque ad ſaturitatem. Omnia opera ſua fecit Deus in numero, pondere, & menſura, hîc autem non ita; ſeptem panis ſuperauerunt ſportæ. Quoniam conuiuium hoc illud, quod in nocte cœnæ celebratus erat præfigurabat, & in eo ita mirandum amoris, & liberalitatis opus, vt charitatis eius, nec numerum, nec pondus, nec vllam menſuram ſeruaret, quia futura erant deſideria eius ſine numero, beneficia ſine pondere, amor ſine menſura. Affectus quippè, quo illud daturus erat fuit immenſus, liberalitas innumerabilis, & retributio illius ſupra omnes vires humanas. O Diuine amor magna potentia polles, ipſum Deum ad hæc amoris prodigia patranda cogis. O Deus homines amans! Vt quid homines tantum non rependunt amore amorem? Quare te in Regem ſuam non eligunt? Totum corpus ſuum, ſenſus, & potentias ſuas totámque animam ſuam tradentes in amoris tributum! Concede mihi benigniſſime Deus, vt te ſine numero laudem, & huius obligationis ponderi ſine pondere ſatisfaciam, te ſine menſura amando, vt ſaltem aliquantulum poſſim tanto amori me gratum oſtendere.

FERCVLVM XVI.

QVOD IN HIS OMNIBVS CONVIuiis quod ſumptuoſum, & mirandum fuit, conuiuij Diuini amoris quod Chriſtus fidelibus fecit ſolum vmbra, & figura fuerit.

EXtaſim pati qui amat, vt inquit, Doctor Angelicus amoris effectus eſt; amor quippe extra ſe amantem effert; & in amatum transfert, plúſque in eo viuit, quàm in ſe, cúmque extra ſe ſit, operatur, quaſi qui in ſe non eſt. Amare, & mente non excedere vix Deo conceditur, prouerbium ſapientis fuit; & ſacro Euangelio conſonus modus loquendi eſt. D Lucas cap. 9 *Loquebantur,* ait, *de exceſſu, quem completurus erat in Herusalem.* Quis hic exceſſus fuit, quæ amoris extaſis? quæ Chriſtum extulit extra ſe, & , vt ſe totum homini traderet, totum in amatum hominem tranſtulit? Quando, vel in quo opere hic amoris exceſſus, hoc amoris prodigium plus patefactum fuit? Se homini in cibum dare, & mori propter hominem hic Diuini amoris exceſſus, & extaſis fuit. Amoris infiniti violentia ipſum Deum cogit extaſim pati. Sic D. Dionyſius Areopagita loquitur. Extra ſe exiit, vt ſuum eſſe Diuinum naturæ communicaret humanæ. Faciens, vt Deus fiat homo, & homo fiat Deus. Vtque communicatio hæc diffuſior eſſet ipſam Diuino Verbo humanitatem vnitam vnicuique hominum qui hoc vellet

Digitized by Google

vellet beneficio patiri, ſub panis ſpeciebus latentem in hoc cæleſti miniſtrauit conuiuio. Qui Diuini amoris exceſſus maior? Quæ extaſis mirabilior? Eſt vinum inebrians amor, vinum eſt, quod effert amantem extra ſe, cogítque eum, vt ea operetur, quæ amoris vim ignoranti, deliria, & amentiæ videantur. Vino vineæ, quam ipſe plantauit inebriatus eſt Patriarcha Noë, exuit ſe veſtimentis ſuis, & nudus ſuauis illius virtute liquoris, ſopore correptus eſt, & vnus ex filiis ſuis ſpreuit eum. Stultitiam reputant huius mundi ſapientes, quod Deus ſe in cibum hominibus dederit. Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, & ratio huius eſt, quia infiniti ignorant virtutem amoris. Hoc vino Filius Dei inebriatus extaſim paſſus eſt, & velut alter Noë gloriæ, & Maieſtatis ſuæ, quaſi qui æſtus vim ſubſtinere non poſſet, veſtimentis ſe exuit. Talem ſe geſſit in Cruce, cum, vt ebrium ingratus filius populus Iſraël contempſit eum. Bibens vinum inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo. Inebriatus eſt, ait interlinearis calice Paſſionis. Et moralis Chriſtus inebriatus, dùm paſſus, nudatus, dùm Crucifixus. Vinum, quo inebriatus eſt, quo nudatus eſt, amor fuit vineæ, quam plantauit, hominis, quem creauit. Et hoc idem vinum bibit nocte cœnæ quando Sanctiſſimæ ſuæ inſtituit memoriale Paſſionis, hoc Diuini amoris conuiuium, hunc cibum cœleſtem. Et hic idem amor, qui propriis veſtibus ſpoliatum affixit in Cruce, alienis eum pannis, panis ſcilicet accidentibus induit. [Hæc, vt inquit Ambroſius *in ſer de Aſſumpt.* amoris, natura eſt nõ alligari ratione humana, quia ducitur luce Diuina. Ignorat ſiquidem iudicium, & ratione multoties caret, neſcit modum, nec aliud cogitare

Digitized by Google

poteſt, quam quod diligit. Amor non accipit de impoſſibilitate ſolatium, nec ex difficultate remedium, nec conſilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi ſubijcitur.] Hæc Sanctus Mediolani Archiepiſcopus. Hoc eſt amantem extaſim pati, hoc eſt amoris vino inebriari. Talis erat Chriſtus nocte cœnæ, cum hoc Diuini amoris conuiuium inſtituit, in vna panis buccella ſe ipſum homini tradens, & in ea ſola maiora, & pretioſiora dona, quam in cæteris omnibus conuiuiis, vel donatum eſt, vel potuit donari, & quod in eis pretioſius, & mirabilius fuit, ſolum vmbra fuit conuiuij Diuini amoris, quod Deus homini dedit cum ei ſe ipſum in cibum dedit.

In conuiuio, quod Deus in Paradiſo primis noſtris parentibus fecit totum fuit, quod illis dedit terrenum; in hoc cœleſte totum; donauit eis in illo lignum, quod fructu ſuo conſeruabat corporis vitam; in hoc pretioſiorem arboris fructum, qui vitam animæ ſeruat, & fons eſt vitæ non mortalis, ſed immortalis; non temporalis, ſed æternæ. Fructus ligni vitæ, in pulchritudine, in virtute, in ſuauitate ſaporis cæteris omnibus Paradiſi fructibus excellebat: & diuinum hoc ſacramentum reliquis omnibus Eccleſiæ Sacramentis, & omnium effectus continet eminenter, lauat, & purificat animam, vt Baptiſmus: confirmat, & conſortat eam, vt Confirmatio: reddit eam, gratam Deo, & oculis eius pulchram, vt pœnitentia: Abſtergit eam à reliquiis peccatorum, vt extrema vnctio. Diuino eam dedicat cultui, vt Sacerdotis ordo: deſponſat, & vnit eam cum Filio Dei Diuina ſuauiſſima, & ſpirituali vnione, vt matrimonium. Omnia hæc ſunt diuina ſuauitate plena fercula, quæ Deus hominibus in Diuini amoris conuiuio

niuio donat. Conuiuium etiam illud, quod Abraham Angelis fecit mirum in modum antecellit. Panis enim, quem illis dedit fuit terrenus; iſte verò de cœlo deſcendens. *Hic eſt panis; qui de cœlo deſcendit*; ille erat panis mortuus; iſte viuus, & vitalis; ille à Sara coctus fuit inter cineres; hic in puriſſimo Virginis vtero Spiritus Sancti igne, & Diuini amoris incendio. Obtulit Angelis Abraham parum lactis, & butyrum, lactis ſcilicet florem, & carnem vituli. Hæc, & nil aliud Angelis in conuiuio dedit, vt diſcant homines quam in ſuis conuiuiis moderationem debeant ſeruare. In hoc vero conuiuio lac æternæ ſuauitatis offertur, & omnium delitiarum Dei florem, carnémque Diuinitati vnitam. Magnificum fuit Aſſueri Regis conuiuium, myſteriis plenum, quod paterfamilias prodigo dedit. Diuinæ charitatis, & poteſtatis dignum, quod quatuor millibus hominum Chriſtus Dominus in deſerto parauit; omnia verò ſolum fuere vmbræ, & figuræ conuiuij Diuini amoris, quod Filius Dei fecit filiis hominum, quibus ſe communicare, quibus benefacere, quibus indulgere maiores eius delitiæ ſunt gaudium? & lætitia maior. O Diuini violentia amoris, ô amor dulcis, ô amor ſapiens, ô amor fortis! Dulcis ad demulcendum, ſapiens, vt nouas amandi artes inueniat, fortis, vt beneficiis noſtram ingratitudinem, noſtrum vincat teporem. Ama igitur anima mea ita dulcem, ita ſapientem, ita fortem amatorem, tuáque maior dulcedo ſit eum amare, maior ſapientia ei placere, fortitudóque maior in illius amore perſeuerare.

Digitized by Google

FERCVLVM XVII.

IN DIVINI AMORIS CONVIVIO ita erga hominem Deus liberalis fuit, vt Deo nihil maius dandum, homini nihil reſtet petendum.

NEſcit quieſcere ignis ſemper ad calorem ſuum communicandum, ſemper ad lumen, & ſplendorem ſuum propenſus eſt effundendum. Ignorat requiem amor, auidus ſemper, vt ei, quem amat, bona ſua, & dona elargiatur: hæc natura eius eſt, hæc propenſio, & conatus. Et ſicut ignis, cum magnus eſt venti contrarietate non extinguitur, immò augetur, ita laboribus, periculis, perſecutionibus plus creſcit maioréſque vires renouat amor. Cum igitur hoc in amore finito, & humano contingat, quomodo ardebit in infinito, & Diuino? Ardebat quidem in pectore Chriſti infinitum incendium, atque Æthna infinitum amoris, & ſolicita æſtuans deſiderio bona, & dona ſua hominibus communicandi quieſcere non valebat, & quando illi ei iniurias inferre cogitabant, ille honores; quando illi tormenta, ille illecebras; quando illi mortem, ille panem vitæ. Et ante diem feſtum Paſchæ propè Paſſionem ſuam (Lætior quippè Paſcha eius pati eſt pro illorum amore, illíſque benefacere) *Cum dilexiſſet ſuos*, Ioannes ait, *c.13. in finem dilexit eos*, ſine termino, ſine menſura, ſine fine dilexit eos, ſine fine, ideſt vſque ad vitæ finem, quantum potuit

potuit dilexit eos ita, vt plus amare non poſſet, nullo amori impoſito fine, amore infinito, amore, qui vltra progredi non potuit, acceſſit ad vltimum terminum amoris; ad amoris non plus vltra. Cúmque ſciret, quia venit hora eius, horam vocat ſuam eam, in qua hoc Diuini amoris conuiuium inſtituit, in quo tot bona, ac dona, tot virtutum, & beneficiorum theſauros homini largiturus erat, vt ſibi nihil maius, vel pretioſius dandum, homini nihil reſtet petendum.

Hanc etiam veritatem nos ipſe Chriſtus docuerat in parabola hominis, qui fecit cænam magnam, & vocauit multos, & miſit ſeruum ſuum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata ſunt omnia. Luc. c. 4. Et cœperunt ſimul omnes excuſare. Primus dixit ei. Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam, rogo te habe me excuſatum. Et alter dixit iuga boum emi quinque, & eo probare illa, rogo te, habe me excuſatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non poſſum venire. Totum hoc conuiuium myſteriis eſt plenum. Quæ cœna eſt iſta? Quis eam facit? Qui ſunt iſti, qui ſe excuſant ab ea? Hæc cœna, vt Cyrillus, & communiter ſacri ſentiunt interpretes Chriſti cœnam adumbrat, in qua Diuinum hoc conuiuium inſtituit, quod cœna eſt verè magna, & magno Deo digna. Qui eam inſtituit Chriſtus eſt, qui ſimul Deus, & homo eſt. Serui, quos ad vocandos inuitatos mittit concionatores ſunt, qui Chriſti nomine omnes fideles, vt ad Chriſti cœnam, & cœleſte conuiuium veniant, inuitant. Súntque multi (res lachrymis digna) qui inæſtimabile beneficium hoc paruipendant, & friuolis, inanibúſque excuſationibus cœleſti bono, & incomparabili ſe priuent dono. Primus dixit

Digitized by Google

Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam. Poſſet miſer maioribus illecebris, fructibus ſuauioribus, & melioribus delitiis in conuiuio, quam in villa perfrui. Commutauit imprudens cœli gaudia cum terrenis, æterna cum temporalibus: Excuſatio inſipiens. Non minori inſipientia laborauit ſecundus. Iuga boum emi quinque, eo probare illa. Sunt nonnulli, qui multa, & grauia mundi malunt portare iuga, quam iugum Chriſti ſuaue, & oneroſis onerati honoribus, & munerum, & dignitatum terrenis fatigati curis ſeipſos cœleſti hoc beneficio, & fauore, quo illos Chriſtus inuitat miſerabili inſipientia defraudant. Tertius non ſolum ſtultus; ſed inurbanus fuit in excuſatione ſua. Obcæcauerat eum, & quaſi mancipium catenis ligatum vitium carnis tenebat. Vxorem duxi, inquit, & non poſſum venire. Non rogat inuitantem, vt habeat eum excuſatum: ſed parum comes ſe non poſſe venire reſpondit. Luxuria quippè vitium ſtultum eſt, inurbanum eſt. Quæ maior ſtultitia, quæ inurbanitas maior? Vt immundæ carnis frueretur delitiis, Virgineæ, & puriſſimæ carnis delitias contemnere; pro Adami carne peccati infecta veneno, gratiæ fontem ſpernere, pro ea, quæ mortis fuit cauſa eam, quæ theriaca eſt vitæ, pro ea, quæ omnium fuit origo malorum, eam, quæ fons eſt omnium bonorum, pro ea, quæ eſt cacodæmonis gladius, quo deſtruit mundum eam, quæ Filij Dei eſt pretium, quo redimit mundum, & denique pro cœno cœlum, & pro viliſſima creatura creatorem. O ſtultitia, ô faſcinatio, ô cœcitas cordis humani! Diuinos ſpernentis theſauros? Quam feruida terrenorum deſideria bonorum, quam tepida fides cœleſtium. Res eſt admiratione digna talis incuria

cum

cum tali fide, cúmque homines ad hanc cœleſtem menſam credant ſe eſſe inuitatos à Deo, Dei nolint eſſe conuiuæ. Capere templa non poſſent turbas hominum, rem ſacram audientium, & ſacræ menſæ accumbentium, ſi quæ de hoc fidei myſterio eos fides docet ſeriò fideles perpenderent Dei conuiuium, & ad Diuinas delitias & illecebras eſt qui renuat? & qui contemnat? Stuporem incutit Angelis, quod fauorem Angelis non conceſſum parui æſtiment homines.

Accedamus verò ad principem noſtræ intentionis ſcopum. Quare conuiuium hoc, de quo ſanctus Euangeliſta Lucas mentionem facit vocatur cœna, non prandium, non ientaculum, non anticœnium? Magnum ad rem noſtram habet myſterium. Difficultati gloſſa ſatisfacit dicens. [Non dicitur prandium hoc conuiuium, quia poſt cœnam, nullum aliud conuiuium reſtat.] Inuitat amicus amicum, vt per vnum diem ad villam ſuam diuertat, & ſolatium capiat, ei ientaculum parat, & prandium, & aliquando aliquid pro anticœnio, cúmque cœnæ tempus eſt, plura, & pretioſa amico miniſtrari fercula iubet, poſt cœnam verò nil iam miniſtrandum reſtat, quod ſupereſt, vt cubitum petat, & requieſcat, nil reſtat dandum, nil reſtat petendum. Totus vitæ noſtræ curriculus, quaſi dies extrema, quæ præteriit; conuiuæ ſumus Dei, confert nobis beneficia multa, quæ velut ientacula ſunt, prandium, atque antecœnium. Verum Sacratiſſimum corpus ſuum nobis in hoc Diuini amoris conuiuio donare, cœnam facere eſt; non enim Deo aliquid aliud dandum, nec homini reſtat petendum; ſolum requies ſuper eſt gloriæ, cuius hoc Conuiuium haud incertum pignus eſt. Quare igitur anima

ita tui auara es; cum Deus erga te ita ſui liberalis eſt? Dona ei corpus tuum, cùm ipſe tibi donat ſuum, dona ei animam tuam, cum ipſe tibi donat ſuam, dona ei quidquid habes, quia ipſe tibi quidquid habet, dat, nec aliquid habet, quod tibi non det, da ei memoriam, & numquam obliuiſcaris eum, da intellectum illius beneficia meditando, Diuina illius attributa contemplando, offer illi in ſacrificium voluntatem tuam, continuis amoris actibus, illum amando, & dicere ei in veritate poteris nihil tibi reſtare, dandum nihil reſtare petendum.

Deſumi poteſt *ex cap. 27. Geneſis* ad hanc veritatem comprobandam non leue argūmentum. Loquentem audiuit Rebeca Iſaac cum filio ſuo Eſau, eíque dicentem *ſume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras, cúmque venatu aliquid apprehenderis fac mihi pulmentum, ſicut velle me noſti, & affer, vt comedam, & benedicat tibi anima mea antequàm moriar.* Quod cum audiuit Rebeca, quia Iacob plus diligebat, (quia propter prærogatiuam virtutis prærogatiua dilectionis dignior erat) cúmque ſemper ſit prouidus amor vt Eſau, qui propter improbos mores indignus benedictione erat, benedictionem ſurriperet, ſancta fraude prouidit; & vocans Iacob dilectum filium ſuum, modum inuenit, quo prius, quam Eſau patris ſui benedictione frueretur, & in ea ita diuitem maioratum, vt in illo datum ei fuerit quod optimum eſt in terra, & quod optimum eſt in cœlo. *Det tibi Deus*, dixit Iſaac Iacob, *de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini.* Rediit Eſau ab agro, cúmque ſurreptam à Iacob ſuam benedictionem cognouiſſet irrugiit clamore magno, & conſter-

natus

natus ait. *Benedic etiam, & mihi pater mi.* Paterque eius nullam ſibi ei dandam benedictionem reſtare reſpondit dicens. *Frumento, & vino ſtabiliui eum, & tibi poſt hæc fili mi vltra quid faciam?* Ad hæc Eſau. *Num vnam tantùm benedictionem habes pater?* Quærit Rupertus hunc exponens locum, Cur vnam tantùm habuerit benedictionem Iſaac? & reſpondet *in ea benedictione, qua panis, & vini fuit, Chriſtum fuiſſe promiſſum, præter quem nulla poteſt haberi benedictio? Quam vero, inquit, præter illud ſemen benedictionem haberet pater?* Verùm, licet Iſaac multas alias diuitias ſibi à patre ſuo Abrahamo relictas haberet, id totum ſi cum benedictione Iacob data comparetur, quaſi nihilum reputabitur. Cum enim in hac panis, & vini benedictione ſecundum communem ſacrorum interpretum expoſitionem, necnon Catholicæ Eccleſiæ Sanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum fuerit præfiguratum, optimè, inquit Iſaac. *Frumento, & vino ſtabiliui eum, & tibi poſt hæc fili mi vltra quid faciam?* Quaſi dicat, cum panis, & vini benedictionem dederim, nec mihi vltra reſtat aliquid dandum, nec tibi petendum. Quanto igitur verius de eo, qui in hoc Diuini amoris conuiuio, panis cœleſtis, & vini germinantis Virgines benedictione potitur, cum in eo ſit optimum, quod eſt in cœlo, gratia nempè Dei, & optimum, quod eſt in terra, corpus ſcilicet, & ſanguis Chriſti, dici poteſt nihil Deo reſtare homini dandum, nihil homini à Deo petendum. Quis ergo pro tali beneficio, pro tali pignore amoris infinitas gratias infinito benefactori non reddit? Quis incuriam ſuam non deflet, cum culpa ſua cœleſti hac benedictione priuatur? Quis ea fruens ita liberalem benefa-

ctorem

ctorem toto cordis non amat affectu, ita, vt plus vltra non poſſit.

FERCVLVM XVIII.

INTER OMNES FAVORES, omniáque beneficia à Deo facta homini hoc majus eſt.

FEcit Deus hominem, vt cui benefaceret, vt erga quem infinitæ bonitatis ſuæ attributum notum faceret, haberet, alioquin homine non indigebat. Quapropter omni tempore, omnibus ſæculis veritatis huius habemus exempla. Præcipuè tamen in lege ſcripta, & in lege gratiæ, in quibus chariores, familiarioréſque ſibi ſeruos habuit, quibus majora amoris pignora exhibuit, & pro quibus mirabiliora patrauit. Verùm, nec quæ contulit in lege ſcripta, nec quæ præſtitit in lege gratiæ, cum his, quæ in hoc Diuini amoris conuiuio generi elargitur humano, conferri aliquatenus poſſunt. Fauor ſingularis fuit humana Deum ſuperueſtiri forma, limum manibus ſumere, & ſubigere; ex eóque plaſmare, formare, & perficere pulcherrimum corpus Adami. Ibi autem forma illa hominis non fuit ſubſtantialis, & vera; ſed apparens; in hoc verò ſacramento, vera eſt ſubſtantia hominis, vera eſt, ſubſtantia Dei, ibi manibus ſuis corpus Adami tractauit, hîc in pectus ipſum ſe comedentis ingreditur. Inſignis fauor fuit, quo Deus honorauit Abrahamũ, cùm illi fecit promiſſionem, & dixit. *Multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & ſicuti arenam, quæ eſt in littore maris,*

maris, & inſuper ex genere eius Filium Dei naturam aſſumpturum humanam. Cæterùm, quòd ibi ſola promiſſio hic vera fuit, & perfecta donatio. Specialis etiam fauor fuit, quem Deus Iſaaco conceſſit virtutibus prædictam, & cœlitus electam donans vxorem. Verùm quantò majus donum eſt, quod Chriſtus animæ donat, ſeipſum ei in hoc ſacramento in dilectum ſponſum donans. Quas gratias ageret, quibus obſequiis perſolueret, quòd ſibi appareret Deus Angeli formam aſſumens, & ſe vinci ſineret, vt ſe amore victum oſtenderet, penitùs Iacob ignorauit, & mirabili ſtupore correptus cognito Incarnationis myſterio beneficiis magnitudine expauit. Sed proculdubio mirabilior fauor fuit non in Angeli forma; Sed hominis aſſumpta natura ipſum Angelorum Dominum humano victum amore in hominis ingredi pectus, & in eo non in vmbra; ſed in veritate hominis amore factus homo, gaudia ſua, & delitias habere. Magno Duci populi ſui Prophetæ Moyſi in rubo apparuit ſpinis pleno, & ignis circumdato flammis, & fauor prodigioſus fuit; Hic in florido pane ſine ſpinarum rigore, ſine voracitate ignis dulcedo totus, Diuini amoris nectareus fauus in corpus, & animam debita communicantis diſpoſitione ingreditur. Illuſtris fauor fecit, quo Deus affecit Eliam poteſtatem ei tradens ad claudendum, & aperiendum pro arbitrio ſuo cœlum ita, vt eſſet in hominis manu mortalis pluuiam è cœlo mittere, & cum ea terræ fertilitatem, panis meſſem, vini vindemiam, hominum, & pecorum alimentum, & vitam. Verum ſine vlla comparatione eſt major homine mortali, & terrigenæ habitanti terram poteſtatem tribuere, vt virtute verborum immortalis Deus

cum

cum infinitis ſuis diuitiis, & theſauris faciat, vt deſcendat è cœlis, & cœleſtis panis huius meſſe, & pretioſiſſimi vini vindemia, ita diteſcant homines, vt nihil eis appetendum reſtet. Quod Deus de Dauide dicat ſe virum inueniſſe iuxta cor ſuum ineffabilis fauor fuit ei, commendauit Deus, quod jam gratia ſua habebat Dauid. Hic non ſolùm verbo laudat; ſed opere cor ſuum, & quotquot habet theſauros homini donat. Celebris fauor ille fuit, quo Deus Salomonem honorauit, cum ei in templo apparuit, & ſibi oblata ſacrificia in die dedicationis accepta habuit; Sed nebulam tantum vidit, & nihilominus ſacer textus dicit. Impleuerat enim gloria Domini domum Domini. Cum igitur, tam corpus, quàm anima juſti templum Dei ſit, nec in ſola nebula; ſed cum omnibus bonis, ac donis, diuitiis, ac theſauris humanitatis; & Diuinitatis ſuæ in illud Chriſtus ingreditur, clarè patet eſſe fauorem hunc infinitè majorem. Valdè longum eſſet beneficia omnia referre, quæ antiquæ legis Deus contulit juſtis. Hæc ad propoſiti ſufficiant probationem aſſumpti. Cum igitur illi minora hæc beneficia tanta gratitudine, tot, ac tam magnis obſequiis, & jugi memoria perſoluerint, incomparabili exceſſu majora, quæ recipit, qui cœleſtem hunc panem recipit qua gratitudine, quibus obſequiis, quam jugi memoria debet illa rependere, ſéque tanto benefactori gratum reddere.

Videamus igitur modò; an fauores, & gratiæ quos Deus ſanctis elargitus eſt gratiæ, quíque abſque dubio, & numero, & magnitudine omnibus, quos de lege ſcripturæ tulimus ſupra modum excellunt, videamus igitur an conferri poſſint cum illis, quos in Diuini amoris conuiuio Chriſtus

ſtus fidelibus confert. Inſigniores aliquos in examinis trutinam afferemus. Eximius fuit fauor, & gratia, qua Chriſtus Dominus dilectum ſuum diſcipulum Ioannem mirabili priuilegio amoris puluinare ex pectore facto requieſcere permiſit, & dormire. Cæterum dubitare quis poterit excellentiorem fuiſſe illum, quo paulò poſt demulſit illum non iam ſuper pectore permittens illum dormire; ſed intra eius pectus intra eius cor ingreſſus cum corpore, & anima intima ſe vnione commiſcere? Non parui pendendus fauor ille fuit, quem Didimo Apoſtolo Chriſtus conceſſit, cùm vulnera tangere, & intra pectus manum mittere conceſſit. Non tamen cum hoc poteſt coæquari dono, per quod ita ſtricta cum communicante copulatur Chriſtus vnione, vt verè dicere poſſit. *In me manet, & ego in eo.* Aptè ad rem, inquit Chryſoſtomus. [Quot nunc dicunt vellem ipſius formam aſpicere, figuram, veſtimenta, calceamenta. Ecce eum vides, ipſum tangis, ipſum manducas. Et tu quidem veſtimenta cupis videre; ipſe verò tibi concedit non tantùm videre, verùm, & manducare, & tangere, & intra te ſumere.] Hæc Doctor Sanctus. Hic ſine dubio major fauor fuit, quàm Apoſtolo Thomæ conceſſus, cui ſolum datum fuit Chriſti vulnera tangere.

Verùm ſi magis ad noſtra appropinquemus ſæcula inſueta beneficia, & valde ſingulares illecebræ bona, & dona fuere, quæ Bernardo, Dominico, Franciſco, noſtro parenti Ignatio, & præſertim deuoto fœmineo ſexui elargitus eſt Deus Gertrudi, Lutgardi, Claræ à Monteſalco, Catharinæ Senenſi, Tereſiæ, & innumerabilibus aliis dilectiſſimis Chriſti ſponſis. His tamen omnibus hoc Diuini amoris conuiuium, prodigioſus hic, & ſtupendus

pendus fauor, hoc incomparabile beneficium, hoc donum cœleſte, hoc Diuinum bellarium magnis interuallis exceſſit. Singulare amoris pignus fuit cœli Reginam in terram deſcendere, & labiis Bernardi Virgineum vberum ſuorum nectar infundere, & mira ſuauitate perfundere. Non dubium tamen, quin majus ſit ipſum cœli Dominum ad Sacerdotis manus, vt homini det non tam radium vnum lactis; ſed totum corpus ſuum, ſanguinem, animam, & diuinitatem cùm omnibus, quæ poſſidet bonis, ac donis ſuis deſcendere. Magni faciendum cœleſte donum fuit, cum cœli Domina, vt dilectum ſeruum ſuum Dominicum honoraret, è cœlo deſcendit, & Angelicis depictam manibus effigiem eius Sorianum detulit, & vt à fidelibus coleretur religioſis Dominicanis dedit. Hoc autem totum non fuit ſe totum Chriſtum hominibus manducandum dare, hoc ſolum fuit, vt vmbra eius, imago ſcilicet ab Angelis fieret, iubere, quæ etſi Angelicis manibus depicta fuerit, hîc per Sacerdotum manus, qui Angelos dignitate ſuperant majus donum hominibus confertur. Rarum, & prodigioſum beneficium fuit Diuo collatum Franciſco, cum Seraphinorum Dominus Seraphinum miſit, vt pretioſis Chriſti vulneribus ſignaret eum, & ſacra Redemptoris ſigillaret effigie. Verùm quis in dubium vertere poterit, quin prodigioſior ſit fauor, excelſiùs donum, & plus mirandum beneficium, quo Deus non iam Franciſcum Sanctitatis prodigium; ſed miſerum peccatorem afficit, pauperem ſeruum honorat, qui veræ pœnitentiæ virtute gratia Dei recepta, gratiæ fontem recepit. Quis poterit inficias ire, quod huius ſacramenti virtute magis intima cum Deo coniungatur vnione, & Chriſti expreſſior remaneat

maneat imago ?]Modus loquendi eſt Sanctorum Auguſtini, & Gregorij, factus manet cum Chriſto vnus homo, & vna perſona. [Gratias agamus Deo fratres, ait Auguſtinus, quia non ſolum vocati ſumus Chriſtiani ; ſed ipſe Chriſtus ?] Quis diffiteri poteſt maius eſſe donum, quod ipſe Seraphinorum Dominus ipſiſmet ſuis vulneribus, theſauríſque omnibus communicantis pectus ingrediatur, quam, quod Seraphinus in Franciſci corpore vulnera imprimat. Non contemnendum donum fuit, quod noſtro Chriſtus contulit Parenti Ignatio, cum illi Romam petenti ſe Crucem baiulantem videndum exhibuit in via, dixítque. Ego vobis Romæ propitius ero, & quod promiſit, impleuit innumera ei, & ſociis eius beneficia conferens, & religioni eius ipſum ſuum glorioſiſſimum nomen. Sed plus cuicunque ad menſam ſuam ſedenti donat, non ſolum nomen ſuum, vt poſſit vocari Chriſtus, ſed Diuinam ſuam perſonam, cuius præſentia fruatur, cuius bona poſſideat, cuius amore in Deum miro modo conuertatur.

Diuæ Gertrudi ſæpè apparuit, & mille ditauit eam fauoribus, dixítque de ea. Tanto meæ Diuinitatis, amore copulatus ſum cum Gertrude inſeparabili vnione, ſicut ignis virtute in vnum metallum cum auro commiſcetur argentum. Arctiori tamen, vt inquit D. Chryſoſtomus, ſupra diximus, cum eo, qui communicat, Chriſtus vnitur. Demulſit ſemel Chriſtus Lutgardem pulchri agni forma ſuſcepta, & in os eius halitum infudit ſuauiſſimum. Ille ipſe agnus, qui tollit peccata mundi ſponſis dilectis ſuis animabus fidelium cordis puritatem amantibus non ſemel; ſed ſæpè, & ſemper, cum ad hoc Diuini amoris conuiuium accedunt,

accedunt, ineffabilibus gaudiis & Diuinis replet illecebris. Virtutibus, & nomine Claræ dictæ à Montefalco cor Diuino decoratum amore in ſigniis ſanctiſſimæ ſuæ condecorauit Paſſionis, & in tribus paruis globulis Sanctiſſimæ Trinitatis myſterio. Superiori modo, qui corpus Chriſti recipit, Chriſti recipit memoriale Paſſionis, & Indiuiduæ Trinitatis templum fiunt corpus, & anima eius. Diuæ Catharinæ Senenſi inuiſibili modo ſacra ſtigmata compreſſit (eximium quidem donum) Hæc tamen vnio, vt ſupra diximus inter Chriſtum, & qui hunc cœleſtem panem manducat, arctior, & ſtrictior eſt, viuit enim Chriſti vitam, ſicut Chriſtus æterni Patris. Ita planè ipſe Dominus dixit. *Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me & ipſe viuet propter me.* Valde deníque celebre ſignum diuini amoris fuit, quod dilectæ ſponſæ ſuæ Tereſiæ à IESV hominum Aſſertor exhibuit, cùm Seraphinum miſit, qui aureo, & ignito cor eius tranſuerberaret telo. Verùm ſine vlla comparatione majus eſt, quod Angelorum, & Seraphinorum Dominus Chriſtus in propria perſona per ſe ipſum, tanquam ignita Diuini amoris pruna, in cuius forma præuidit eum Ezechiel, in communicantis pectus introeat, & ad intima cordis deſcendat, vt igne eum Diuini amoris incendat. Quis igitur fauor cum hoc poterit fauore componi; quæ illecebræ cum his illecebris? Qui major excogitari poterit bonitatis exceſſus, quæ amoris probatio cum hoc exceſſu, vel quis verior amoris exceſſus, quam talis amoris probatio. Quid ergo facis anima mea? ſi non deperis eum, qui ne fame perires tanta in hoc conuiuio pro te mirabilia fecit.

LECTORI

LECTORI REQVIES, & muſica conuiuij.

MELLIFICÆ APES MELLE dulciore concentu Chriſtum in ſacramento latentem in aluearijs ſuis adorant, & colunt.

CAntipratus omni fide dignus author *lib 2. cap.*40. *de apibus*, hoc refert mirandum, & ſe à quodam Abbate viro Sancto audiuiſſe fatetur, & fuit huiuſmodi. Homo quidam pauper multa apum aluearia prope vrbem habebat, cúmque ea frequenter inuiſeret, ſæpè per diem ſuauiſſima harmonia apes concinere animaduertit. Quamobrem ſpeciali cura die quadam concentum auſcultauit, & ſepties per diem cantus interpolare cognouit, & temporibus illis non exire in agrum ad colligendos flores. Non poſt multum temporis forte media nocte conſurgens inſueto lumine aluearia circumdata vidit; & præter morem apes ſuauiſſima harmonia nocte concinentes audiuit. Nouum admirans prodigium, & rei veritatem non ſemel expertus vrbem petiit, & dominum Epiſcopum miraculi certiorem fecit. Qui cum domeſticis ſuis, & familiaribus aluearia inuiſurus venit, & apiarium verum dicere inuenit. Rediit Præſul in vrbem, & rem cum doctis viris, & ſpiritualibus contulit, & aperire alueum viſum fuit omnibus vt quid intus lateret viderent. Plures è populo conuocauit Antiſtes, & ad aluearia rediens alueum, in quo audiebatur concentus

referari

reſerari mandauit. Et intra illum inuenerunt. O rarum prodigium, & infinitæ dignum potentiæ illius Domini, cui creaturæ obediunt vniuerſæ: Inuenerunt igitur pyxidem, & puriſſima, & candiſſima cera pretioſiore argento elaboratam, & intra illam conſecratam hoſtiam, & in aluearis ſuperiori parte collocatam; & apum choros circa illam, quæ quaſi cœleſtes exercitus Regi ſuo, & creatori excubias faciebant. Omnes ſimul vocem extulere prodigioſum hoc intuentes miraculum, eíque gratias, & laudes reddiderunt, qui, vt homines his alatis, paruulíſque vermiculis doceat hæc magna mirabilia operatur. Magna veneratione ſacram hoſtiam in Eccleſiam tulerunt, & in loco illò, in quo fuit reperta Xenodochium erectum fuit, in quo multi curantur ægroti. Ita magni prodigij fama vagata fuit per totam illam regionem, & latrones duo rei nouitate perterriti ſponte ſua falli ſunt ſe in quadam Eccleſia aluealriis illis vicina argenteam pyxidem, in qua Chriſti corpus cuſtoditum erat furatos eſſe, & vt expeditiùs fugerent, ſe quod non expediebat feciſſe, & ſibi argentea pyxide reſeruata in alúcaria illa ſacram hoſtiam proieciſſe.

Paruulæ apiculæ hominis magiſtræ fiunt, túmque quomodo Deum veneraturus eſt, & ad hoc Diuinum conuiuium acceſſurus, docent. Parcitate ſua humilitatem, ceræ mollitie teneritudinem, & deuotionem cordis, candore puritatem, concentu gratiarum edocent actionem, vt ita liberalem laudet, & benedicat benefactorem. Quod ſi ita fecerit ignis in pectore eius tanquam in cereo diuini ardebit amoris.

FERCVLVM

FERCVLVM XIX.

MVNDI CONVIVIA PLENA ſunt doloribus & hoc gratiis & fauoribus.

MVndus mundanis menſam ſternit, & fercula omnia, quæ illis miniſtrat, vt inquit Euangeliſta Ioannes tria ſunt. *Quid eſt*, ait, *in mundo, vel eſt concupiſcentia oculorum, concupiſcentia carnis, & ſuperbia vita.* Diuitiæ ſcilicet, delitiæ, & honores. Diuitiæ ſpinæ ſaccharo conditæ, delitiæ mellis faui veneno pleni, honores nubes ſplendentes, quæ in ſolis occaſu, ideſt in morte, manent obſcuræ. Labor diuitias acquirendi, timor amittendi, dolor ob amiſſas, nonne pungentes ſunt ſpinæ, quæ diuitum corda percutiunt: Quod magis mortiferum venenum, quàm humanæ, & inhumanæ delitiæ, quæ animam immortalem vita priuant, & Deum ab ea recedere cogunt, verum gaudium, & veram vitam illius. Splendent honores deceptis oculis ambitionis humanæ; verùm quàm breuis, & fallax eſt ſplendor illorum. Scitè quidem Bernardus. *In quodam ſermone.* [Mundus eſt, vbi malitiæ plurimum, vbi ſapientiæ modicū, vbi omnia ſunt vitioſa, omnia lubrica, omnia operta tenebris, & obſeſſa laqueis, vbi periclitantur animæ, affliguntur corpora, vbi omnia vanitas, & afflictio ſpiritus, & in Ioële dicitur. Confuſum eſt gaudium à filiis hominum:] Hæc S. Doctor. Cùm igitur fercula, quæ mundus miniſtrat, ita vana ſint, ita amaritudinibus, tenebris, laqueis, & periculis plenā, quis à Chriſto Domino

Domino ad cœleſte hoc, & Diuinum inuitatus conuiuium, in quo totum eſt ſubſtantia, totum dulcedo, totum diuinæ luces, totum amoris laquei, totum cœleſtes illecebræ, ac delitiæ, quis excuſabitur à tanto bono fruendo, à tam diuite theſauro, poſſidendo, vbi diuitiæ veræ ſunt, deliciæ diuitiæ diuinæ, honores æterni! *Mundus clamat, clamat ipſe Bernardus, ego deficiam, caro clamat ego inficiam, Diabolus clamat ego decipiam. Chriſtus verò dicit. Ego reficiam.* Elige igitur ô homo quid magis expediat tibi, vide quam, vt ſedeas eligas menſam, quo velis conuiuio frui, an mundi, an Chriſti.

Veritatis huius non ſpernenda tam in Diuinis, quam in humanis litteris teſtimonia, & exempla habemus. Decerpamus nonnulla ex humanis, quæ aliquando pro ſunt, vt melius exponantur diuinæ. Imperator, & vitiorum ſeruus Heliogabalus multas, & varias dapes ex ligno effingere iuſſit tali ingenio, & arte, vt veræ, & non fictæ apparerent. Primores regni ſui ad ſumptuoſum inuitauit conuiuium ea mente, vt eos irrideret, & illuderet. Cúmque hora conuiuij inuitati conueniſſent, conſediſséntque ad menſam vna cum ipſo Imperatore, quem fauorem non parui faciebant. Serui Imperatoris fercula miniſtrare cœperunt. Imperatori vera, lignea inuitatis; Cúmque cultellis illa ſcindere vellent, non, niſi lignum inueniebant. Graui vultu eos Imperator cernebat comprimens riſum; illi verò illum reueriti fictas dapes comedere fingebant, placeréque ſibi. Fercula omnia huiuſmodi fuerunt, & miſeri majore, quàm ſederant fame è menſa ſurrexere, & illuſor Imperator dolum riſu celebrauit.

Haud improprium eorum, quæ in mundo eueniunt

niunt luſus iſte Hieroglyficum eſt. Sedent ad illius menſam mundani, cùm aliquem honorem, aliquam dignitatem, licet indignè comparent, & delitiarum, & diuitiarum, & ad nouos aſcenſus honores, fame oppreſſi numquam ſatiantur appetitu eorum; ſunt enim fercula vana, & ſine nucleo ſubſtantiæ, mors conuiuio finem imponit, & mundus, quem tanto proſequebantur amore illos irridet. O quàm diſpar eſt, quod Chriſtus fidelibus amicis ſuis facit conuiuium. Quod mundus offert totum mendacium, quod Chriſtus veritas totum deceptorium illud; hoc veritatis exhortatorium; illud vanum, & apparens, hoc verax & ſolidum: Illud exterius delectabile oculis; interiùs verò aridum lignum; HOC exteriùs accidentia panis & vini; interius tamen corpus, & ſanguis Chriſti & in eis omnes delitiæ cœli: Illud amaritudine plenum; hoc ſuauitate, & dulcedine. Quis igitur tanta ſtultitia, & amentia laboret, vt Domino mallit ſeruire, qui eum ita durè tractat, quam benigniſſimo Domino, qui cum tanto amore, & tanta ſuauitate demulcet.

Cœterum non hoc ſolo malo, quod falſis bonis decipiant, conuiuia mundi laborant; verum, etiam quod vera inferant damna. Inuitauit Abſalon fratres ſuos Regis Dauidis filios in villam ſuam, & parauit eis, vt ipſe ſacer textus aſſerit, quaſi conuiuium Regis; ſed non animo regio, volebat quippè à fratre ſuo Amon vindictam ſumere, quia violauerat Thamarem ſororem ſuam. Iuſſit duobus ſeruis ſuis, vt in conuiuij feruore, cum inebriatus eſſet Amon occiderent eum. Odia quippè in pectore diù ſeruata ſæpè inferunt infelicis mortis abortum. Fratricidæ Abſalonis duri miniſtri dira iuſſa executioni mandarunt, can-

D

didas mappas maculantes Principis ſanguine infauſto ſydere nati. Menſa in funebrem locum ſupplicij, conuiuium in planctum, illecebræ ſunt in amaritudines conuerſæ, & miſeri Principis vita ſubitanea, & improuiſa defecit morte, quando eius minus expectabat aduentum, & ipſa audacior ſolet impunitos inuadere. Noſter verò frater eſt Chriſtus non velut Abſalon, qui pater amaritudinis interpretatur propter multas, quibus, & Patrem ſuum, & fratres ſuis inſolentiis afferit. Eſt Chriſtus pater totius conſolationis, & dulcedinis, conuiuium, quod facit non ſolum; quaſi conuiuium Regis; ſed Deo dignum conuiuium eſt. Si enim poſſibilis eſſet Deus alius, qui ei in maieſtate, & poteſtate eſſet æqualis, velléque eum hoſpitem habere, & conuiuam, nec pretioſius, nec ſuauius, nec ipſi gratius donare ferculum poſſet, eo, quod in Diuini amoris conuiuio miſero, & mortali homini, donat. O extrema Diuini amoris oſtenſio, ô ſuprema charitatis dignatio, ô interminabilis Diuinæ bonitatis effuſio. O Deus homines amans, vt quid homines ſic ſe amantem Deum non amant? Hucúſque Diuina poteſt ſe diffundere bonitas; hucúſque ingratitudo hominis, & tanti obliuiſcatur fauoris, hucúſque frigiditas cordis eius, vt igne tanto non incendatur amoris.

Non minus exemplaris fuit infelix mors Simonis, quàm Amonis. Simon erat ſummus Sacerdos, & Princeps populi Dei, cúmque ſuæ ditionis, vt bonus Princeps vrbes inuiſeret, vt earum conſuleret bono, vrbem Ierichô peruenit cum duobus filiis ſuis. Dux quidam arcis, quæ erat propè vrbem hoſpitio ſuſcepit eum lætitiæ, & amoris ſignis in ore, & habebat venenum in corde,

cte, magnificum præparauit conuiuium Principe dignum, vt inſidias celaret, cúmque in interiori domus cubiculo impij facinoris executores laterent, & Simon, & filij eius ciborum ſuauitate ineſcati, & pretioſi vini dulcedine eſſent inebriati, ſubito infideles traditores è latebris exierunt, & Simonem, & filios eius, & familiares occiderunt. O humana, & vana mundi felicitas, quot inſidiis, quot periculis, quot amaritudinibus, quot malis expoſita manes. Verè fellea felicitas vocaris: Parum mellis offers; multum fellis confers, gaudia tua momentanea, torturæ perpetuæ, frequentia pericula, extollis, vt deturbes; honoras, vt ſpernas; inuitas, vt occidas. O quam diuerſo ſe modo Chriſtus gerit, quam magna eſt conuiuium eius plenum dulcedine, quàm pura, & ſecura gaudia, quàm cœleſtes illecebræ, quam veri honores, quam alieni à fraude fauores, non in eis mortem abſcondit, imò conuiuis ſuis vitam confert æternam. Eligat ergo Chriſtianus quod conuiuium malit, an mundi, an Chriſti. [Mundus tranſit, & concupiſcentia eius, lumen ait Eccleſiæ Auguſtinus, *ſuper Epiſt. Ioannis.* quod vis vtrum amare temporalia, & tranſire cum tempore, an Chriſtum amare, & in æternum viuere?] Hæc Sanctus Doctor. Veni igitur anima mea ad hoc Diuini conuiuium amoris, ne te excuſes, ne moreris, ne moriaris, amore accede inuitata ab amore.

Digitized by Google

FERCVLVM XX.

NVLLVM EST MAGIS EFFICAX medium, vt homo fiat Diuinus, quàm recipere Verbum Diuinum factum hominem.

CIbi proprietas eſt ſe comedenti ſuas proprietates communicare, & præſertim hoc competit lacti, quod quia delicatum alimentum eſt facilè in aliti ſubſtantiam conuertitur, cùm bibitur, & editur, ad vtrúmque quippè aptum eſt. Vnde ortum habet, quòd pueri tam probos, quàm prauos ſe lactantium mores induunt. Quamobrem prudentium conſilium eſt, quod matres filios ſuos alienis vberibúſne facile tradant nutriendos, quòd ſi vrgente neceſſitate fecerint, nutrices virtutibus præditas, quærant, vt in lacte bonæ nutricis bonos mores bibant. Res notatu eſt digna, quàm fide digni ſcriptores affirmant. Lacte ouis lactatus hædus agni ſimilitudinem induit, & mollis fit tam in carne, quàm in pilis (naturæ miraculum) ſed in prædicta ratione fundatum. Nutrit Chriſtus in hoc cœleſti conuiuio ſacro lacte vberum ſuorum conuiuas ſuos; & aliis nutriendos non commendat, vt multæ ſolent matres, vt os aureum Chryſoſtomi *Homil.* 60. *ad pop. Anthio.* eloquitur [Vnitaſque, ait, fidelium Chriſtus ſemetipſum per myſteria commiſcet, & quos genuit per ſemetipſum nutrit, nec alteri tradit.] Cum ergo humanitatis carne, & diuinitatis

diuinitatis lacte quos verbo genuit Chriſtus enutriat haud dubium, quin mores induant diuinos. Alitur Deo anima, ſaginatur Diuinitate, qualis manebit? niſi Diuina. Solita eloquentia Tertullianus. [Caro, ait, abluitur, vt anima emaculetur, caro vngitur, vt anima conſecretur, caro ſaginatur, vt & anima muniatur, caro manus impoſitione adumbratur, vt & anima ſpiritu illuminetur. Caro corpore, & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur.] Hæc Tertullianus. Cum ergo alimentum communicantis Diuinum ſit, quibus imbuetur moribus, niſi Diuinis? Igitur nullum eſt magis efficax medium, vt homo fiat Diuinus, quàm recipere, in hoc Diuini amoris conuiuio Verbum Diuinum factum hominem. Quis ergo fauor, quis honor, quæ amoris oſtenſio huic poteſt æquari? ad quam dignitatem ſublimiorem euehi poteſt natura humana, quàm, vt facta ſit Diuina? ad quam altiorem gloriam homo poteſt efferri, quam, vt tam intima cum Deo commiſceatur vnione? Quis magnificiat fauores hominum, & dignitates terræ ſic honoratus, ſic glorificatus ab ipſo Domino, & poſeſſore cœli.

Perficitur arte natura, & humanum ingenium ad difficillima inuenit remedium, acidos, & amaros fructus dulces didiſcit, & ſuaues reddere. Domum mundat à cortice dura, & amara, vndis ſæpè lauat, & ſalis ſapore, quo omnes cibi condiuntur purificat ab amaro liquore, & præparat, vt ſachari dulcedine intimè imbuatur ignis virtute, cuius calore feruens fructus totam amaritudinem in mirum conuertit dulcorem. Quid eſt, quod majore amaritudine ſit plenum, quàm anima in peccato mortali? quæ Deum dereliquit, &

illius gratiæ dulcedinem? *Scito, & vide, quia malum, & amarum eſt*, ait Ieremias Propheta, *dereliquiſſe Dominum Deum tuum.* Quas amaritudines, quàm diros cruciatus in anima ſua peccator non patitur, quia dereliquit Deum ſuum. Qua ergo vtendum eſt medicina, vt tanto malo remedium adhibeatur? Ab amaris vitiorum corticibus pomum cordis emunda, & non ſemel lachrymarum fonte purifica, & veræ contritionis, & pœnitentiæ ſale, & ore confeſſus, & corde peccator contritus igne Diuini calefiat amoris, Chriſti ſanguine ſuauiſſimi ſacchari inſtar in hoc Diuini amoris ebibito conuiuio, tanquam cœleſti nectare imbutus diuinæ ſuauitatis, ac dulcedinis particeps fiet amaras conuertens qualitates in dulces; terrenas in cœleſtes; humanas in Diuinas. Hoc ortum habet ex intima vnione, quam is, qui communicat habet cum ipſo Chriſto. Sicut enim docet Chryſoſtomus. [Hoc nos premimur, huic nos vnimur, & facti ſumus vnum Chriſti corpus, & vna caro.] Hæc os aureum Chryſoſtomi. Quamobrem virtutes eius, & proprietates participamus diuinas. Igitur nullum eſt magis efficax medium, vt homo fiat Diuinus, quam recipere in hoc diuini amoris conuiuio Verbum Dinum factum hominem. Quis ergo ſe tam incomparabili beneficio priuat, tam ſuperno bono, honore tam ſublimi, ne paruo benè præparatam faciendi confeſſionem, qua ſe vitiorum amaritudinibus purum reddat, vt Chriſto vniatur labori incumbat, quo tanta ſuauitate, ac dulcedine perfrui poſſit? Felices lachrymæ, quæ hoc promerentur, beata pœnitentia, quæ ita ſummum comparat bonum.

Hæc eadem probata veritas in multis aliis experiti

periri ſolet. Secundum naturam eſt, vt aqua venarum, per quas pertranſit qualitates imbuat. Itáque per auri venas tranſiens proprietates recipit auri, vel ſi aluminis, qualitates illius,& virtutes. Res omnes cum aliis mobilioris excellentioris naturæ miſcentur participes fiunt nobilitatis, & excellentiæ earum. Quid aquæ accedit eo, quòd pretioſo vino miſceatur, niſi proprietates, & virtutes illius? Quid arcæ ex ſuaue olentis nardi cuſtodia, niſi ſuavis fragrantia. Vel pecora, quæ ſuaueolentes herbas paſcuntur carnes odoriferas nutriunt. Et non inſipienter quidam ſapiens dixit. Paſcua odorifera pecorum carnes odoratas exhibent. Et adrem noſtram congruentiùs ſolita eloquentia Niſſenus. [Nam quod alitur, inquit, ad eius ſpeciem comparatur, quo veſcitur.] Acſi diceret. Alitum alimento ſimile fieri. Si ergo in hoc Diuini amoris conuiuio diuinitate ipſa veſcitur, & alitur homo ſe viuens, ſe commiſcens cum corpore, & ſanguine Chriſti, quæ verbo ſunt vnita Diuino, quomodo poteſt proprietates non indui Diuinas? Non dubium eſt, quin cœli ſuauitatem, & fragrantiam redoleat, & bonum odorem Chriſti ſecundum illud Apoſtoli *Chriſti bonus odor ſumus*, Diuinitatis communionem habebit inter odorifera lilia paſtus Agni illius, digni Diuinitatis, quam habet, quia, vt inquit Euangeliſta Ioannes: *dignus eſt Agnus accipere Diuinitatem*. Igitur nullum eſt magis efficax medium, vt homo fiat Diuinus, quàm recipere in conuiuio Diuini amoris, Verbum Diuinum factum hominem. Quis igitur fauor, quis honor, quæ gloria, quæ exhibitio amoris, quis amantis cordis exceſſus, vel excogitari, vel deſiderari poterit major. Vicit infinitus Dei amor noſtras cogitationes, & deſi-

Digitized by Google

deria noſtra ; fauor quippè ita magnus , honor ita ſublimis , gloria ita cœleſtis, nec humana, nec Angelica mens poſſet exiſtimare poſſibilem , nec eſſe poſſibilis poſſet, niſi Deo amanti. Quis igitur cogitat , quis deſiderat , quis aliud præter Deum amat ? Quis procurat , quis requirit alium fauorem , alium honorem , vel majorem gloriam ? quam ſe cum ipſo Deo vnire per amorem ? O Deus homines amans , quare non amaris ab homine ? Miratur Iob, & dicit. Quid eſt homo,quia magnificas eum , & ponis erga eum cor tuum quanto magis mirabile eſt , quòd in eo diuinitatem tuam ponas , eúmque diuino hoc reficiens pabulo reddas Diuinum.

FERCVLVM XXI.

QVONIAM , QVI DIVINO HOC veſcitur pane in Deo inſeritur , & Deus in eo , vitam Dei agit, ſitque Diuinus.

NAturæ miraculo exponemus miraculum gratiæ. Quid admirabilius , & quod quotidie videmus in inſitis arboribus, & iure poteſt miraculum nuncupari naturæ , cum miræ huius artis ingenio fructus arbores ferant ſupra propriam naturam ? Quis non miretur cùm malum videat , quæ pyras & mala cidonia ſimul ferat præter ſuæ fructum naturæ. Ipſa arbor, ſi admirationis capax eſſet vt poëta cecinit miraretur ſe videns alienum edere fructum. Tria fidei altiſſima myſteria in hac inſita

inſita arbore pulchro ſimili adumbrantur. Sanctiſſimæ Trinitatis, Flij Dei Incarnationis, & Sanctiſſimi Sacramenti altaris. Tria poma diſtinctæ ſpeciei in trunco vno, Tres Diuinas perſonas inter ſe diſtinctas, & in vna, eadémque eſſentia vnitas adumbrant. Duo poma diſtinctæ naturæ, quod, vt plurimum fit in arboribus inſitis, in vnica arbore ſymbolum etiam ſunt humanæ, & Diuinæ naturæ inter ſe vnitarum in vno, eodémque ſuppoſito, Diuino videlicet Verbo. Deníque magis aptè ad rem noſtram hoc inſitum Verbum in humana natura ſub panis; & vini ſpeciebus in corpore, & anima communicantis inſeritur, ſuas ei proprietates, & virtutes communicans, & quia in Deo inſeritur, & Deus in eo, Dei vitam agit, fitque Diuinus, ſicut ipſe Chriſtus nos docuit dicens: *Et qui manducat me, ipſe viuet propter me.*

Propheta Rex in pſalmo primo virum iuſtum deſcribens dixit. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Lignum ſemper viriditate lætum, floribus vernans, & iugi gratiæ irrigatione fœcundum, & tempore ſuo ſanctorum operum fructibus plenum iuſtus dicitur. Caſſiodorus locum hunc de Chriſto Domino interpretatur, qui iuſtus iuſtorum, & Sanctus Sanctorum eſt. Et lignum vitæ, & arbor Paradiſi, vt ſupra expoſuimus. De lignis Paradiſi affirmat D. Hieronymus eſſe incorruptibilia, ideóque holocauſtorum altare igne non comburi, imò ſplendidius reddi, quia ex quodam Paradiſi ligno effectum erat. Ita iuſtus in tribulationibus, & ærumnis virtutibus emicat majoribus imitando Chriſtum, vitæ lignum qui in SS. Paſſionis ſuæ laboribus, & preſſuris illuſtriora nobis virtutum exempla præbuit.

Hoc lignum vitæ, vel, vt legit Hebræa lectio lignum vitarum, quia dat vitam animæ, & vitam corpori, & hoc virtute illius, ſicut Chriſtus Dominus affirmat, reſurgit in nouiſſimo die. *Ego*, inquit, *reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Itáque, quamuis cœteri homines reſurrecturi non eſſent, qui hoc ſacramentum recipiunt, quia reſurrectionis eſt ſemen, reſurgerent virtute illius. Hoc vitæ lignum eſt Chriſtus, & in Mariani Virginalis vteri Paradiſo vnitum, inſitúmque fuit naturæ humanæ, & mirabilior, diuiniórque inſitio facta fuit, quàm mundus vnquàm vidit. Deus in homine inſitus, & homo in Deo, duæ diſtinctæ naturæ Diuina, & humana in trunco vno, & ſuppoſito vno Diuino. Et ſicut per inſitionem duæ arbores inſitæ mutuò interſe ſuas proprietates, & virtutes communicant, & verè dicitur arbor hæc malus eſt, pirus, & arbor cidonia, eſt, quia in vno eodémque trunco vnita ſunt, ita etiam Deus, & homo, vt Theologus docet idiomatum interſe communionem habent, & verè de hoc homine Chriſto dicitur, cœli, & terræ eſſe creatorem, æternum, infinitum, & omnipotentem, & eadem etiam veritate dicitur de Deo natum, & paſſum, & mortuum fuiſſe propter amorem hominis, hoc maximum omnium, quæ fecit, & poteſt facere opus Dei eſt hoc ſummum miraculorum, & prodigiorum omnium, quæ operari poteſt diuinus amor, miraculum, & prodigium. Hoc eſt Diuinum inſitum, per quod ſupra omnes hierarchias angelicas naturam Deus exaltauit humanam, Benedicta ſit talis bonitas, talis pietas, talis, ac tanta miſericordia.

Noluit Chriſtus tanti boni eſſe auarum, nec ſibi ſoli tantum reſeruare theſaurum, noluit in abſcondito

abſcondito habere, imò fratres ſuos facere voluit conſortes illius, vt bono, quod pro omnium conceſſum fuit bono perfruerentur omnes. Quæ igitur ars inueniri poſſet, vt omnes huius doni potirentur pretioſitate, & in ſui cœleſti delectarentur ſuauitate? Inſeratur ſecundò hoc vitæ lignum in vnoquóque hominum, qui tantum voluerint recipere donum. Conuiuium fiat, & pretioſius ferculum eius ſuauiſſimus, & ſaluberrimus Paradiſi arboris fructus ſit: illo veſcatur homo, veniat ſe cum eo, in ſuóque inſerat corde, & D. Iacobi conſilio obtemperet. *Suſcipite*, ait, *inſitum Verbum, quod ſaluare poteſt animas veſtras*. Inſitum vocat Verbum Diuinum, &, vt illud ſuſcipiamus nos admonet, vt ſuas nobis proprietates, & virtutes communicet, noſque vitam cæleſtem, & diuinam agamus, cum enim, qui hoc cæleſti veſcitur cibo in Deo inſeratur, & Deus in eo. *In me manet, & ego in eo* vitam Dei agit, fitque Diuinus. *Et qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Hoc nobis docet, & admonet D. Dionyſius. [Si igitur, inquit, ipſius ſacratiſſimæ inſeramur vitæ; ipſam quantum fas eſt imitando, veraciter conſortes Dei, Diuinorúmque participes efficimur.] Quis artem talem homines faciendi Diuinos inuenire poſſet, niſi ſapientia infinita? Quis illam exequi, niſi potentia infinita! Quis donare hominibus tale pignus amoris, niſi bonitas infinita, niſi Deus homines amans. O ſumma charitatis oſtenſio, ô Diuini amoris prodigia? Arbor vitæ, & vitæ æternæ, diuinum inſitum illud Dei, & hominis, hominis, & Dei in Mariani Virginalis vteri Paradiſo effectum ex fructu benedicto ventris eius, in quo tota Dei ſubſtantia, in quo ſunt illecebræ omnes, tota beatitudo, & gloria vnitur,

& inſeritur in corde meo, & ex eo in hoc Diuini amoris conuiuio, ferculum exhibetur ſuauiſſimum. Quid mihi reſtat petendum? Quid deſiderandum reſtat? Quid mihi eſt in cœlo? & à te quid volui ſuper terram? Cum mihi optimum terræ, in humanitate, & optimum cœli in Diuinitate donetur.

Hæc tria inſita, Trinitatis ſcilicet, Incarnationis, & SS. Sacramenti altaris in hoc conuiuio diuini miniſtrantur amoris. Trinitatis, in quo tres perſonæ diſtinctæ in vna, eadémque eſſentia ſicut tria poma diſtincta in vno, eodémque trunco. Et quamquam ſola ſit perſona Filij; quæ nobis ſuam humanitatem exhibet edendam, quia Filius non poteſt eſſe ſine Patre, & Spiritu Sancto, Tota Sanctiſſima, & indiuidua Trinitas, per concomitantiam (vt Theologus loquitur) in noſtrum corpus, & animam modo Diuino, & mirabili ingreditur. Nobis etiam Diuinum inſitum Dei hominis facti in Altiſſimo incarnationis myſterio, in hoc cœleſti communicatur conuiuio, vt enim ſupra diximus, & Theologi docent, altaris ſacramentum eſt Filij Dei Incarnationis extenſio. Eius quippè ſacra humanitas hypoſtatica vnione Verbo vnita Diuino in hoc nobis conuiuio Diuini elargitur amoris.

Cùm igitur inſitum hoc ita mirandum ita Dei donis; & theſauris plenum, ita Diuinum ſit, ne in nobis pereat, &, vt vitæ ligno fruamur, támque ſalubri, & pretioſo fructu potiamur, tria nobis, quæ inſitores ſeruant, ne inſita perdantur, mirificè proderunt. Primum eſt, vt nouellæ in arbore inſerantur viridi, & viua; ſi enim in ſicca non germinabit; ſed peribit. Vita animæ eſt gratia, accedat viuus qui vult recipere vitam; hoc

quippè

quippè cœleſte inſitum eſca eſt non mortuorum; ſed viuorum; mortuis verò noua mors eſt. Mors eſt malis, vita bonis, vide paris ſumptionis quam ſit diſpar exitus. Charitate, & amore, quæ vita eſt animæ accedat, qui ad conuiuium Diuini accedit amoris. Non erat licitum in lege veteri ſine holocauſtorum igne Deo offerre thimiama, ob cuius legis fractionem Nadab, & Abiu Leuitas cœleſti Deus igne puniuit, vt culpæ reſponderet ſupplicium; in eo námque, quo quis peccat, in hoc, & punietur. In holocauſtorum altari præfigurata eſt pœnitentia, in qua iugulantur vitia, & cuius virtute anima ad gratiæ vitam reſurgit, & ad Chriſti præparatur vnionem. Secundum, quo, ne pereat, inſitum eget, eſt, quòd ſuperflui rami arboris, in qua faciendum eſt præcidantur, vnita quippè & non diſperſa virtus nouellis faciliùs vnietur. Pœnitentiæ,& mortificationis ſecuri, vt ſecurè inſitio fiat vitia ſunt reſecanda, & oppoſitis virtutibus extirpanda, humilitate ſuperbia, liberalitate auaritia, caſtitate luxuria, manſuetudine ira, abſtinentia gula, charitate inuidia, & pigritia ſedulitate. Ita inſitum viuum ſeruabitur, & illo veſcens Diuinis eius potietur fructibus. Tertium requiſitum eſt, quod habeat munditiam magnam; non enim cum arbore poterunt vniri nouellæ, niſi mundæ ſint. Vel de minimis culpis mundus accedere debet ad Chriſtum, qui cum Chriſto cupit iniri, vt Diuini huius inſiti effectus ſortiatur Diuinos. Salutare eſt Diuini Iacobi conſilium: *Abÿcientes omnem immunditiam,& abundantiam malitiæ ſuſcipite inſitum Verbum, quod ſaluare poteſt animas veſtras.* Ac ſi diceret, anima mundior, & corpus ab omni immunditia tam ſpirituali, quàm corporali, à peccatis mortalibus,

Digitized by Google

bus, & venialibus, illa quippè occidunt animam; hæc ægritudinibus debiliorem reddunt. Iámque purificata & mundata inſitum hoc ſuſcipite Verbum, vt inſeratur in Deo, & Deus in eo, & vitam Dei agens reddatur homo Diuinus. Quæ ars inueniri poſſet Deo dignior, & vtilior, honorabilió que homini. Hîc illi Deus omnia, quæ potuit dedit. Hæc verior probatio amoris, hic ſummus charitatis exceſſus, communio ſtrictior, & incomparabilius beneficium, vel quod homo poteſt deſiderare, vel Deus conferre. O ſumma largitas! ô immenſa liberalitas! ô ineffabilis hominis felicitas. Ad hoc inuitari conuiuium, & pro ſuaui eſca ipſum manducare Deum! Quis tam infinitam bonitatem non admiratur? Quis ex toto corde gratias infinitas non agit pro tali dono, pro tali amore, pro beneficio tali?

LECTORI REQVIES, & muſica conuiuij.

VENERABILIS SACRAMENTI virtute ouis quædam à lupo rapta Diuinitùs liberatur.

IN ſpeculo exemplorum habetur in quodam religioſorum monaſterio fratrem laicum fuiſſe Dei timore, & virtutibus præditum, qui cum ouium Paſtor eſſet, & mane ſacram ſuſcepiſſet ſynaxim agrum petiuit ad oues cuſtodiendas. Cúmque illarum cuſtodiæ ſedulò incumberet, ſubitò è ſyluis lupum exeuntem vidit, qui ad gregem rapido curſu accedens ouem vnam in ore rapuit,

puit,& ita magna celeritate in lucum, à quo exierat, rediit, vt illi paſtor ſubuenire non potuerit. Dei ſeruus contriſtatus ærumna, magna fide, ac fiducia oculos in cœlum leuauit, & toto cordis dixit affectu. O Chriſte Paſtor bone, ô Diuine Agne, qui tollis peccata mundi,quem hodie in meo pectore hoſpitem habui, hanc tibi commendo ouiculam, cuſtodi illam, & à beſtiæ huius dentibus eripe: eam rapi video; ſed eripere nequeo. Res quidem admiratione digna. Vix quippè breuem hanc orationem finierat, cùm fera voraciſſima illa, licet fame preſſa prædam ſanam, indemnémque reliquit. Paſtórque beneficij accepti memor diuino, quem manè illa ſuſceperat hoſpiti gratias egit immenſas, & ad gregem retulit ouem,& vt in laudibus Deo reddendis ſocios haberet poſt mirandum cœteris religioſis narrauit.

Oui, cui non valuit ſuccurrere paſtor humanus ſuccurrit Diuinus: ſecurum gregem habebat, qui in pectore Principē Paſtorum portabat. Paſtor eſt, qui tanto proſequitur oues amore, vt eas propria carne & ſanguine paſcat, quo paſtu ab infernalibus lupis degunt ſecuræ.

FERCVLVM XXII.

DIGNITAS EST PLVSQVAM humana inuitari à Chriſto, & tam Diuino perfrui fauore.

INter ſacra arcana, quæ viſus acumine Aquila Ioannes proſpexit. *Vidi*, inquit, *Agnum ſtantem tanquam occiſum, id eſt mactatum, & Deo dicatum.*

oblatum, ſicut in hoc conuiuio diuini offertur amoru. Vbi autem Agnus erat? In medio throni. Et qui iſte thronus erat? Pectus Agnum recipientis, in quo tantam gloriam habet, quantam in cælo. Quod verò meretur præmium Agnus hic Diuinus ob præſtitum hoc beneficium generi humano? Ipſe Ioannes reſpondet dicens. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt accipere virtutem, & & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & gloriam, & honorem, & benedictionem.* Cœterùm ſi Deus in ſe, & ex ſe omnia hæc habet dona, & ipſe eſt, quia ea ſuis elargitur creaturis; vt quid neceſſe eſt, vt ea ab illis accipiat? Vult hoc homini beneficium præbere ab eo accipiens quod ipſe dat ei vt multò plus dandi inde anſam capiat, quam acceperat ipſe Humanitatem accepit, & Diuinitatem dedit. Sapienter ad rem noſtram Nazianzenus. *Orat.* 24. [Deitatem, inquit, dedit, & humanitatem accepit. Quod præſtantius erat nobis impertiuit, quod deterius eſt particeps ipſe fit, hoc priore illo diuinius.] Hæc ſanctus Doctor. Vbi verò nobis ſuam diuinitatem impertiuit? Tribuit illam nobis in hoc Diuini amoris conuiuio ſub panis, & vini velatam accidentibus. Vndè ergo ſic Diuinum potuit homo promereri fauorem? Igitur dignitas eſt pluſquàm humana inuitari à Chriſto, & ſic Diuino perfrui fauore, quòd ſi retributio proportionari beneficio debet, & gratitudo dono. Agnus, qui ſuam nobis diuinitatem dedit, humanitatem, quam à nobis accepit Diuinam reddens dignus eſt accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & gloriam, & honorem, & benedictionem, & bona, quæ habet per ſuffragium à nobis habere, agamus illi gratias propter magnam

gloriam

Digitized by Google

gloriam ſuam. Cum ergo quodlibet beneficium amoris catena ſit, qua reuinctus manet beneficiatus, vt reuereatur, & amet benefactorem ſuum, qua reuincietur obligatione, qui ita Diuinum recipit donum? Et quo poterit ita ſingulare beneficium rependere? O Deus homines honorans, homines amans, quo illos plus honorare, quo te plus amantem exhibere poſſet, quam eos faciens ad menſam tuam ſedere, & in ea tuam eis diuinitatem manducandam donare.

Noluit Deus ſibi ſoli ſuam reſeruare gloriam, modum quæſiuit, quo etiam homo illa poſſet potiri, & quæ eius erat gloria major, eſſet pariter hominis. Nulla res omnium, quæ Deus creauit, vel creare poteſt, nullum ſacrificium ex omnibus, quæ oblata ſunt ei Deo tantum præſtat honorem, nullum gloriam tantam, ſicut hoc ſacrificium agni immaculati Chriſti mortui, vt homini vitam donaret, quod in Sacramento offertur altaris. *Sacrificium laudis honorificabit me*, Dauidico ore locutus eſt Deus. Quod laudis ſacrificium eſt iſtud? Euchariſtiam eſſe ſacri expoſitores affirmant. Itáque in eodem pſalmo, vbi noſtra vulgata legit. *Immola Deo ſacrificium* Laudis. Aquila vertit Euchariſtiam, & erudiτiſſimus Nouarinus hunc locum exponens dicit. Hoc igitur ſacrificium, maximè Deum honorat, quia Dei in nos amorem indicat, & probris eius bonitatem commendat, & infinitam eius potentiam. In hoc ſenſu dixit Iſaias. Cum regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in Ieruſalem, & in conſpectu ſenum ſuorum fuerit glorificatus. D. Dionyſius Areopagita hæc verba de hoc Diuino conuiuio expoſuit, & dixit. [Per ſacram operationem ipſo præſbyterorum glorificabitur Dominus.]

minus.] In hoc igitur incomparabili honore, in hac gloria ineffabili voluit Deus partem dare homini, & vt ea potiatur eum vocat ad menſam ſuam, & in ea cœleſtem ei edendum porrigit agnum, qui, vt optimè ſenſit Tertullianus gloriæ ſacrificium eſt, quod in omni loco offertur. [In omni, inquit, loco offertur ſacrificium mundum gloriæ] Igitur dignitas eſt pluſquàm humana inuitari à Chriſto, & hoc Diuino perfrui fauore. Qui ergo honos, quæ dignitas, quæ gloria huic poterit comparari? Quis honores, & dignitates omnes, quas ei poterit mundus dare, non deſpiciat, non paruipendat, ad menſam Dei inuitatus, vt ita diuino perfruatur fauore? Nec coronæ, nec ſceptra, nec infulæ, nec thiaræ magnifacienda ſunt, ſi cum tam magna componantur gloria.

Voluit Auguſtus Cæſar, vt referunt litteræ humanæ, familiarem ſuum, cui nomen erat Nicolaus Damaſcenus, honore afficere, propterea̋que à menſa ſua placentas ei emittere conſueuerat. Et huius hiſtoriæ author ideò dicit à Cæſare hoc donum mitti, vt ſtrictæ amicitiæ familiari ſuo pignus daret, eúmque ſibi æquaret. Placentas ad illum honoris gratia mittere ſolebat, quod parem ſibi familiaritate reddidiſſet. Rex regum, & Dominus dominantium Chriſtus vitæ Diuinæ, quam à Patre accepit hominem voluit conſortem facere. *Sicut miſit*, inquit, *me viuens pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Humanitatem ab homine accepit, & ſuæ diuinitati vnitam homini reddit, vt vitam cœleſtem, & diuinam agat. Igitur dignitas eſt plus quàm humana inuitari à Chriſto, & tam Diuino perfrui fauore. Donum eſt Deo hominem

amante

Digitized by Google

amante dignum, dignus infiniti amoris exceſſus. O ſummum bonum meum, quid à filiis quæris Adami amoris tui in eis exceſſus oſtentans, perfectiones excercens, tot charitatis extrema, tot liberalitatis faſcinora, tot veri pignora amantis pro hominum ſalute rependens! Numquid ex eo, quòd homo à te eſſe amatum intelligat tua gloria dependet? Numquid in demulcendo hominem diuinitatis tuæ infinitum eſſe conſiſtit? Quid vltrà facere pro homine poſſes, ſi hominem non amans vitam ſeruare non poſſes. O extremum Charitatis extremæ, cum tibi nihil hoc proſit, tot facis extrema, quia mihi prodeſt. Benedicta ſint tanto amore viſcera plena, propter illum te rogo, vt mihi, cui tantum amor tuus prodeſt, donum hoc Diuinum concedas, vt te ex toto corde, & tota mente, & ex totis viribus amem.

FERCVLVM XXIII.

PANEM ANGELORVM edentes homines, ne Angelicæ felicitati inuideant.

IN quatuor præcipuè hominibus Angeli excellunt, in quibus iure quidem homines Angelis inuidere debemus ob magnam felicitatem, qua ipſi in illis fruuntur. 1. quia ſunt ſpiritus puri, corporis grauitate, & impuritatibus liberi, nec tot morbis, laboribus, & ærumnis obnoxij, non indigent cibo, nec potu, cibo, & potu inuiſibili vtuntur. ſicut Tobiæ Angelus dixit. Ego cibo in-

uiſibili

uiſibili & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor! Homo verò quot viuit miſeriis ſubjectus propter corporis molem, qua deprimitur, námque, vt ait Apoſtolus: *Corpus, quod corrumpitur aggrauat animam*, quot tributa, quot illi infames cenſus perſoluit?

2. Excellentia, in qua homine Angelus valde eſt ſuperior illa eſt, quod Angelus fuit in Dei gratia creatus, vt communis tenet Theologorum opinio, & illorum facilè Princeps Angelicus Doctor, qui aſſerit, quòd in primo illorum creationis inſtanti. *Erat ſimul Deus condens naturam, & largiens gratiam.* Ex mente enim Auguſtini *gratia ſemen eſt gloriæ*, & quia eos Deus creauerat, vt in cœli ſpecioſiſſimo hortu, ſicut ſpecioſiſſimi ſplenderent flores pulchritudine gloriæ, ſeminauit in eis Diuinum ſemen gratiæ, mox ac illis dedit eſſe, vt mox in ſecundo inſtanti finem ſuæ conſequerentur creationis. O magna felicitas, ó magnitudo felix. Homo verò labe infectus originali concipitur, & propter eam Dei eſt inimicus, iræ filius, cœli exhæredatus majoratu, Diaboli ſeruus, Inferni pœnis damnatus, omnibúſque vitæ huius & ærumnis, & miſeriis, quæ ſupplicia ſunt peccati miſera ſeruitute ſubjectus. Quæ major poteſt excogitari infœlicitas? quàm tot calamitatibus obnoxium humanum eſſe recipere.

3. Angelorum feliciras, in qua longè homines, ſuperant, & magni fieri debet illa eſt, quod Angeli in gratia confirmati ſunt, eámque non poſſunt amittere. Quam ſummum bonum hoc ſit ille ſolum cognoſcere poteſt, qui quam magnum bonum ſit gratia, & quàm magnum malum ſit peccatum; quod illa animam priuat Dei lumine illu-
ſtratus

ſtratus cognouerit. Gratia donorum omnium quæ ſuis Deus elargitur, vel po eſt elargiri creaturis maximum, & optimum eſt, quia vt Petrus Apoſtolus dixit Diuinæ eſſentiæ participatio eſt. *Vt per hæc*, inquit, *efficiamini Diuinæ conſortes naturæ.* Hoc donum Dei, Dei amicum hominem facit, dilectum filium, & cœli hæredem. Homo autem, ſit iuſtus licet, & in gratia Dei tantum amittendi donum in magno ſemper diſcrimine viuit, & an illud habeat certò cognoſcere nequit: ſicut enim Spiritus Sanctus dicit. *Nemo ſcit, vtrum odio, an amore dignus ſcit.* Eſt gratia in homine pretioſiſſimi liquoris inſtar, ex cuius conſeruatione animæ vita dependet, & theſaurum iſtum in vaſe fictili habet, quod facilè rumpitur, & inæſtimabilem theſaurum effundit. Quæ igitur infelicitas major, quàm hoc ſemper affligi timore? hac angi cura, ſine qua conſeruari non poteſt. Quamobrem nos admonet Paulus Apoſtolus dicens. *Cùm timore, veſtram ſalutem operamini.*

Excellentia 4. Beatorum ſpirituum eſt, quòd non ſolùm gratiam; ſed etiam gloriam poſſident ſine amittendi timore. Hic vltimus tam humanarum, quàm Angelicarum felicitatum terminus, hæc omnium bonorum corona, hic omnium creaturarum rationalium finis, hic omnium noſtrorum deſideriorum ſcopus, hoc ſpei noſtræ centrum, hæc noſtræ vltima perfectio naturæ. O beati ſpiritus, ô terque, quaterque felices, qui actu vnico amoris, quo ad Deum conuerſi fuere, æternæ beatitudinis poſſeſſionem meruere ſecuram! Ita docet D. Angelicus, *l. q. 62. art. 5.* [Reſpondeo, ait, dicendum, quod Angelus poſt primum actum charitatis, quo beatitudinem meruit, ſtatim beatus fuit.] Homo verò, dùm in hac vita degit

degit mortali ſummum hoc perdendi bonum in diſcrimine degit. *Nemo ſcit an ſit Iacob dilectus, vel Eſau odio habitus*, an æternam poſſeſſurus ſit gloriam, an pœnam ſubiturus æternam. Semper debet eſſe timore, & tremore plenus, quam ſorte n habebit ignorans. Debet igitur homo in tantæ felicitatis excellentiis Angelis inuidere.

Verùm iam nos tempus vocat, vt totius huius diſcurſus finem videamus. Eſt igitur ita ineffabile, ita incomparabile, ita cœleſte, ita Diuinum beneficium à Deo collatum homini, cum eum ad ſuam menſam inuitat, & in ea hanc eſcam donat cœleſtem, hunc Angelorum panem, hoc pretioſiſſimum ferculum conuiuij Diuini amoris, vt iam non debeat Angelis inuidere, imò ab Angelis ipſe inuideri. Primum, in quo diximus homines angelis inuidere debere, fuit quòd illi ſunt ſpiritus. Sed propter eandem rationem angeli debent hominibus inuidere, ideò quippè, quia ſpiritus ſunt, hoc cœleſti cibo priuantur, cum enim panis iſte Chriſti corpus ſit. *Hoc*; inquit, *eſt corpus meum* Puris ſpiritibus eſca apta non eſt; hi enim incorporeo, & inuiſibili cibo veſcuntur. Itáque ſolum hominibus, qui corpore conſtant, & corporeo cibo veſcuntur; Chriſti corpus concedi poteſt edendum. Quamobrem in hac parte majore homines, quàm Angeli felicitate fruuntur, cùm illi ſummo hoc nequeant potiri bono, vt Filij Dei conuiuæ ſint; ſedeántque ad menſam illius, puriſſimam eius carnem manducent, pretioſiſſimúmque ſanguinis bibant liquorem. Numquàm illis ſummum hoc beneficium collatum fuit, caro enim, & ſanguis Chriſti verus cibus, & verus potus, ſunt, & vero cibo, & vero potu non ſpiritus; ſed corpora aluntur. *Caro mea*, ait Chriſtus, Dominus,

Digitized by Google

minus, *verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Quapropter, ſi inujdia affici angeli poſſent, quòd corpora habeant, hominibus inuiderent, vt hoc diuino ſacramento perfrui poſſent, & hoc veſci pane cœleſti, quo veſcentes; homines ad tam ſublimem euehantur dignitatem, vt in hoc beneficio cum Angelis componatur, hi nobiliſſimi ſpiritus ſolum ſunt, vt aſſerit D. Chryſoſtomus, ſerui qui adſunt, & ſeruiunt conuiuio, quorum concentu conuiuæ gaudent. Principes, qui ad menſam ſedent cum ipſo Angelorum Rege, & hac ſuauiſſima eſca fruuntur, non angeli ſunt, ſed homines. Angeli milites ſunt, qui Regem ſuum comitantur, non inuitantur, vt cum Rege ſedeant; ſed, vt menſæ miniſtrent. Homines manum in paropſidem mittunt, & mãna deguſtant Diuinum, & mira illius ſuauitate potiuntur. Angeli magnum hunc admirantur fauorem à Rege ſuo collatum hominibus, & ſacram reueriti menſam tanta eam veneratione ſtantes reſpiciunt, vt ſacrum ferculum vel manibus non audeant attingere. Solita eloquentia os aureum Chryſoſtomi hanc nos veritatem docuit dicens. [Quod Angeli videntes horreſcunt, néque liberè audent intueri propter emicantem inde ſplendorem, hoc nos paſcimur, huic nos vnimur.] Non ſolùm non audent attingere, verùm nec aſpicere audent, vt addit ipſe Chryſoſtomus, *Homil.60. ad pop. Anthi.* [Neque liberè audent intueri.] Hoc pane Diuino paſcimur, huic diuino ſacramento vnimur. Igitur iure optimo dicere poſſumus, quòd ſi Angeli affici poſſent inuidia, hominibus, qui debita diſpoſitione ad menſam Chriſti ſedent, & diuino hoc fruuntur conuiuio, proculdubio inuiderent.

2. In eo diximus homines angelis poſſe inuidere,

re, quod Angeli ſimul naturam, & gratiam in ſua creatione receperint, in quo dono eximio licet qui dignè ad hoc conuiuium accedunt; Angelis homines inuidere non debent, ſi enim illi in gratia creati fuerunt; hominibus in hoc Diuino ſacramento totus fons gratiæ donatur. Ita à Doctore vocatur Angelico. Fons gratiæ. Vndè ortum habet, quòd plures homines majorem, quàm ipſi Angeli gloriam habebunt; & ratio eſt, quia in hac vita, in hoc Diuini amoris conuiuio copioſo fuere gratiæ fonte potiti. Igitur in hoc non eſt cur homines Angelicæ felicitati inuideant, imò ſi Angeli affici poſſent inuidia, hominibus inuiderent, quòd ad manum habeant, & facilè perfrui poſſent tot diuitiarum fonte, tot donorum cœleſti theſauro.

Sed, nec debent homines angelis inuidere confirmatos in gratia fuiſſe, quæ tertia fuit excellentia, quam diximus, licet enim hoc maximum donum ſit. Verùm ſi homines diuini huius conuiuij velint ſe communire virtute, virtutum robur, ſalutem, & gratiæ vitam ſine detrimento ſeruabunt, ſine amiſſione cuſtodient. Cæterùm objiciet aliquis dicens. Si ſacramentum hoc tanta ad animæ conſeruandam ſalutem virtute pollet, quomodo multæ animæ, quæ ſacram ſynaxim frequentant paſſionibus, & vitiis ægrotant, nec vitæ frugem conſequuntur meliorem. Ita, vt poſſit conqueri Chriſtus Dauidico ore dicens. Quæ vtilitas in ſanguine meo, dùm deſcendo in corruptionem. Ac ſi diceret. Pretioſum ſanguinis mei medicamentum nihil eis prodeſt, imò in damnum vertitur, cum poſt ita ſalutare remedium deteriores maneant. Verùm hoc ſi attenta conſideratione perpendatur ex ſacramenti defectu non prouenit, nec

nec virtus deeſt medicinæ, ex mala oritur diſpoſitione recipientis. Hoc veritas noſtra patebit exemplo. Habet pater filiam quam amat, & cuius ſalutem, vt propriam deſiderat, in morbum puella incidit, peritiores Pater medicos conuocat, pretioſa in curatione illius, medicamenta inſumuntur, & nullum illi prodeſt, in dies deterior macie, & ſqualore conficitur. Quid faciant medici ignorant, nec quæ ſit cauſa, ob quam ita ſalutaria pharmaca ægrotæ non proſint, inueſtigare non valent. Denique reuelatum eſt illis puellam comedere terram. Et omnes vna voce dixerunt, ſi comedit terram mirum eſt, quòd non ſit iam ſepulta ſub terra, ſi comedit terram, quid mirum, quod pretioſa ei medicamenta non proſint, & macie ſit, & ſqualore confecta. Hoc eſt, quod multis, qui ad hoc Diuinum medicamentum accedunt, accidit, non curantur à vitiis, non ſanantur ab animæ morbis, quia terram comedunt. Sunt ex illis, de quibus dixit Paulus: *Qui terrena ſapiunt.* Omnia eorum deſideria terrena ſunt, diuitias, & delitias, honoréſque terrenos amant, cœli obliti honorum, ac ſi cœlo nati non eſſent; ſed, vt bruta ſolum terræ. Terrenorum deſideriis cor habent infectum, ideò eis nec ſuauis eſca, non pretioſa medicinæ proſunt *Probet ſeipſum homo*, & quomodo accedit, conſideret; ſi enim purgato affectu, & cœleſtium accedat fame bonorum, proculdubiò aſſequetur animæ ſalutem, quæ eſt gratia, robúrque, ne illam amittat, acquiret: & tanta plenitudine augebit, vt felicitati non inuideat Angelicæ, cùm in dies poſſit gratiam conſeruare, & augere, & magnum cum ea meritorum theſaurum; quòd non poſſunt Angeli.

Digitized by Google

Non demum debent qui dignè communicant, & hoc Diuini amoris conuiuio fruuntur Angelis in quarta inuidere excellentia, quòd ſcilicet gloriam poſſideant ſine metu amittendi; qui enim hunc cœli panem, hoc mannâ Diuinum digna præparatione recipit, gloriæ pignus poſſidendæ ſecurum recipit, potéſque inter cœlicolas numerari. Hac ſimilitudine clarior conſtabit hæc veritas. Si Rex prudens, & potens regni ſui procerem in obſequiorum præmium, ſe eum ad Primariam aliquam dignitatem eucecturum promiſiſſet; nemo euehendum fore dubitaret. Quod ſi non ſolùm Regia promiſſione; ſed iuramento verbum confirmaret, hæc procul dubio tam firma promiſſio, dignitatis putaretur poſſeſſio; In ſuper ſi Rex publicum chyrographum adderet Regio ſuo ſigillo ſignatum. Quis poſſet hoc vertere in dubium. Hæc à Theologis moralis certitudo vocatur. Hanc habet ille, qui hoc Diuini amoris conuiuium dignè frequentat. Idem quippè cœli, & terræ Rex Chriſtus ſe eos Reges in cœlo conſtituturum fore ſpopondit dicens. *Patres veſtri manducauerunt mannâ, & mortui ſunt, Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Hæc vita æterna vita eſt gloriæ, qua qui fruuntur omnes ſunt Reges. Hanc ſponſionem ipſe Dominus in Euangelio Ioannis iuramento confirmat c. 6. *Amen, Amen, dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis.* Hoc verbum Amen, vt aſſerunt interpretes ſacri vim habet iuramenti aſſertorij. Iurat ergo his Chriſtus ineffabilis veritas, quòd ille, qui viuificum cibum hunc non manducauerit, vitam in ſe non habebit, quod idem eſt, ac dicere, quod qui manducauerit

Digitized by Google

manducauerit vitam habebit, quæ vita non eſt alia, quam æterna, vt ipſe Dominus in eodem capitulo dicit. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.*

Nec vult ſolùm promiſſionem eandem iuramento confirmare, verùm etiam obligationis chyrographum facit, & ſigillo proprij ſanguinis munit. Cuius veritatis fidem ſacri Euangeliſtæ teſtantur, & Ioannes dicit ſe ſuis vidiſſe oculis ſanguinem, quo ſigillatus fuit chyrographus. *Et continuo exiuit ſanguis, & aqua, & qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius.* In aqua hoc Diuinum ſacramentum ſignatur iuxta illud Pſalmi. *Super aquam perfectionis*, & ſanguis, vt pretium illi daret, exiuit. Nam virtute illius aqua eſt ſaliens in vitam æternam. Sanguis hîc prætij infiniti rubrum atramentum eſt, quo ſigillatur promiſſio, quam Deus nobis facit vitæ æternæ, quæ nobis in hoc diuini amoris conuiuio donatur. De antiquis refertur Imperatoribus reſcripta ſua purpureo ſolitos eſſe ſigillare atramento, quod aliis vetitum erat. Chriſtus verò ſupremus mundi Imperator ſponſionem ſuam ſanguine pretij infiniti, vt quàm certa ſit intelligat homo, ſubſcribit. Et inſuper liberalis, & homines amans Princeps, vt eorum accendat amorem, &, vt verbo ſuo confidant, exciter fidem, quod numquam Rex cum ſeruis ſuis feciſſe narratur, ipſe Rex Regum cum hominibus fecit, ita pretioſum pignus illis donans, vt maioris pretij ſit, quàm ipſa promiſſa gloria, vt ex eorum cordibus omnem dubitationem depellat. Si mihi aureus vnus promitteretur, & pro eo monile mille aureorum pretij in pignus daretur, quis de adimpletione promiſſionis dubius iam eſſet? Cœ-

leſtis hic cibus pignus futuræ gloriæ ab Eccleſia vocatur, pignus ſemper pretioſius eſt eo, cuius pignus eſt, & pignus hoc infiniti pretij eſt, quia ipſe Deus infinitus eſt, & plus gloriam excedit, quàm mille aurei vnum. Igitur iure optimo aſſerere poſſumus, quod qui dignè hoc Diuino pane veſcuntur, & hoc Diuini amoris conuiuio fruuntur Angelis inuidere non debent, immò ſi Angeli capaces eſſent inuidiæ, tantæ felicitati inuiderent. Cœterùm aliquis quæret, quare panis hîc panis angelorum vocatur? iuxta illud. *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & panem angelorum manducauit homo.* Ergo Angelorum eſt, & illi nobis illum impertiuntur, & donant. Verùm non eſt panis angelorum per naturam; hi enim vt diximus, quia ſpiritus ſunt cibo non vtuntur corporeo. Et panis Angelorum per gratiam, qui homines ſunt, & panis huius virtute mores æmulantur Angelicos. Panis Angelorum eſt, quia qui hunc Angelorum accedunt manducaturi panem Angelicam debent puritatem imitari. Panis Angelorum vocatur, quia manna, quod Angelico miniſterio formabatur vmbra fuit eius. O térque, quatérque beati, qui tali panè veſcuntur, qui tali conuiuio fruuntur, qui tam Diuina eſca veſcuntur, quia eos Angelis pares, imò, & ſuperiores ſæpè conſtituat tam gratia, quàm gloria. Quis tantæ dignitatis excellentiam dignè perpendere poterit, vel ipſis linguis Angelicis? Quis pro beneficio ita immenſo æquales reddere gratias, etiàm ſi Seraphici omnes ſpiritus mutuò dent illi Diuini incendium amoris? ô Deus homines amans, quid in tam vilibus reſpexiſti creaturis, vt eas ad tam ſublimem dignitatem eueheres? quæ te cauſa mouit, vt in tantam eas extolleres

gloriam.

gloriam. Fuit proculdubiò, quoniam quam pluri-mæ noſtræ miſeriæ dignius obiectum ſunt infi-nitæ tuæ miſericordiæ.

FERCVLVM XXIV.

ITA EST HOC CONVIVIVM mirabile, vt ad id faciendum hominibus, renouet Deus in Sacerdotum manibus miranda omnia, quæ fecit factus homo in Virginis vtero.

INter cognomina, quæ in ſacris litteris Chriſto imponunt Prophetæ, myſteriis plenum eſt illud, quo à Propheta Rege appellatur pſ. 28. *Et dilectus meus, quemadmodum Filius Vnicornium*. Dile-ctus ideſt Chriſtus valde ſimilis eſt filio Vnicor-nium. In qua ergo Chriſtus Vnicornis ſimilitudi-ne deſignatur. D. Iſidorus de Vnicorne dicit ita ferox, & immite animal eſſe, vt nulla arte, nec retibus, nec ſagittis, nec alio inſtrumento ve-nandi capi vnquam à venatoribus poſſit. Nihilo-minus tamen ingenio cedit humano, & facili ar-te venatur. Degit hoc animal in deſerto Africæ, & cognito fonte, ad quem ſiti oppreſſus, vt bi-bat venturus eſt, quæritur pulcherrima Virgo pelo exornatur pretioſo, multíſque ditatur mo-nilibus, ſedétque iuxta fontem; cúmque ad bi-bendum Vnicornis accedit puellæ intuetur deco-rem, & ſtupefactus miratur, illiúſque amore correptus ferocitatem in manſuetudinem mutat, & ſæuitiam in amorem, & paulatim puellæ ap-

propinquans in eius tandem ſinu recumbit, & dormit. Effert illa laqueos, quos affert, & pedes eius manúſque reuincit; & venatoribus tradit. Res quidem admiratione digna. Vtitur ea Sanctus Valentiæ Archiepiſcopus Thomas à Villanoua, & Incarnationis Filij Dei altiſſimo myſterio accommodat dicens. [Vltionum Deus omni feritate depoſita vnius Virginis amore, & pulchritudine tractus mitis, & manſuetus in eius vterum reclinatur.] Magnus ille Deus, qui quondam Deus vocabatur vltionum pulcherrimæ Virginis attractus amore, mitis factus, & humilis feritatem depoſuit, qua peccatoribus ſupplicia infligebat, & inter puriſſimæ Virginis reclinatus vbera ſe ligari permiſit funiculis Adami, & vinculis charitatis. Salutem hominum ſitiens deſcendit, & in huius mundi deſerto amantes oculos in Mariæ pulchritudinem, & honeſtatem coniecit, & in pretioſa ornamenta virtutum, donorum, & gratiarum, quibus Deus eam locupletauit, & inter omnia virginalis puritas eius cor Dei amore percuſſit, nam, vt meditatur Bernardus *Virginitate placuit.* Inuenit etiam illam in humilitatis terra ſedentem, & hæc deníque eum, vt in illius puriſſimo vtero reclinaretur, attraxit. *Humilitate concepit,* vt addit ipſe Bernardus. Tanta eſt harum excellentium virtutum vis, cùm connectuntur inuicem in corde humano, vt cor amore afficiant Diuinum. Ligauit eum puriſſimæ vinculis carnis, & hominibus tradidit. Nobis datus, nobis natus ex intacta Virgine, vt benefaciat, vt proſit, vt redimat, vt ſalutet. Tanto debito obſtringimur Deo, tanto Deiparæ.

Altiſſimo huic Incarnationis myſterio valdè ſimile eſt altaris ſacramentum; cùm in Miſſa à

Sacerdote

Sacerdote conſecratur. Magnus ille Deus, qui lucem habitat inacceſſibilem, qui hominum conſpectum fugiebat, qui Deus vocabatur vltionum, & de ſe dixerat. Non videbit me homo, & viuet, hominum ſitiens ſalutem à regalibus ſedibus venit, non iam in puriſſimum Virginis vterum; ſed ad viliſſimi peccatoris manus attractus virtute verborum, quibus ipſe mirabilem dedit virtutem. Mirandum rarum, immenſa charitas, infiniti exceſſus amoris. [O veneranda Sacerdotum dignitas Auguſtinus *Sup. pſal.* exclamat, in quorum manibus, tanquam in vtero Virginis Verbum Diuinum, quaſi iterùm incarnatur:] Tanta eſt verborum conſecrationis efficacia, vt eximius noſter Doctor Franciſcus Suarius *diſp. 61 ſect, 1. tom. 3. in* 3 9 *part.* non ſine magno fundamento dicat, quòd ſi Virgo Chriſtum non genuiſſet, nec eſſet in rerum natura in illis ſit virtus phyſica efficiens ad producendum Chriſti corpus in hoc ſacramento. Sententia eſt valdè conformis modo loquendi Concilij Florentini, & Tridentini, quæ illi hanc efficaciam tribuunt. Probatur item multorum authoritate Sanctorum. D. Ioannes Chryſtomus eis aſſerit hoc ſacramentum effici. D. Ioannes Damaſcenus. [Verba efficacia] vocat. Diuus Ambroſius [operatorium ſermonem.] D. Angelicus, [quædam, ait, eſt in eis virtus creata ad conuerſionem huius ſacramenti faciendam.] Quo loquendi modo vtitur Diuus Auguſtinus [panis certa conſecratione myſticus fit nobis] Si Deus virtutem homini daret, vt lapidem quibuſdam verbis in panem conuerteret, licet panis non eſſet in rerum natura, illum poſſent illa verba producere; eandem conſecrationis verba habent virtutem; itáque quamuis Chriſtus non eſſet, Chriſtum pro-

Digitized by Google

detur poſſet. Quò vltra poteſt progredi poteſtas humana, quàm, vt homo Dei inſtrumentum ſit ad patrandum maius mirandum, quàm ipſe poteſt patrare Deus. Itàque his verbis ad Incarnationis operandum myſterium, ad producendum corpus, & animam Verbo vnitam Diuino cum omni donorum, virtutum, & gratiarum pulchritudine, & decore, quibus Sancta eius exornata eſt humanitas, virtus ineſt.

Mirabilis eſt virtus illa, quam Deus ſemini tribuit, vt in pulchram arborem, malum videlicet citreum, vel punicam tanta ramorum, foliorum, florum, & fructuum varietate producat. Verùm multò mirabilior, prodigioſior, & rarior verborum conſecrationis, quæ legitimus Sacerdos profert, virtus eſt; quantùm major gratia, quàm natura: ô Deus mirabilis in omnibus operibus tuis! Quam ob cauſam ita miranda, ita ſtupenda operaris, quis te ad magna hæc prodigia conſtringit, vis tui infiniti amoris, vt conuiuium hoc homini facias, & eum ad mutuum amorem conſtringas.

Non ſolum Sacerdos in myſterij magnitudine, quod operatur; verum etiam in operandi modo ſanctiſſimam Virginem imitatur. Octo verbis, quæ protulit Virgo dicens. *Ecce, ancilla, Domini, fiat, mihi, ſecundum, verbum, tuum*, Verbum Diuinum è ſinu Patris fecit deſcendere, & in anguſto, & anguſto vteri ſui diuerſorio diuerſari. Sacerdos verò quatuor verbis ipſum facit deſcendere in manus ſuas, & in anguſto accidentium paruis, & vili collocari termino. Res quidem omni admiratione digna. Cœterùm ad maiorem huius myſterij ponderationem, & infinitæ bonitatis gratiam, quæ talem dignitatem hominibus

nibus dedit venia tua Sereniſſima angelorum Regina, & vix doctus, & ſpiritualis D. Antonius à Molina Carthuſianus. ſcribit Maieſtati, & Dignitati tuæ cum debita reuerentia loquendo, te cœli, & terræ reſpicientes Reginam, & vnicam Dominam noſtram; magna, quæ fecit tibi, qui potens eſt, & majora, quàm, quæ omnibus creaturis fecit non parui facientes; ſed hoc magnum Dei opus debita ponderatione exaltare volentes in circunſtantiis nonnullis, quibus nemo ire inficias audebit Euchariſtiæ myſterium præferre poſſumus, Incarnationis in te operato Myſterio, Deipara enim non fuit cauſa realis, & efficiens, vt Theologi docent; ſed ad ſummum aliquomodo meritoria, vt Verbum Diuinum in eius vtero homo fieret, Sacerdotis autem Verba, pauciora licet, quàm ea, quæ protulit Virgo virtutem realem, & Phyſicam, vt ſupra probauimus habent ad producendum Chriſti corpus in accidentibus panis ſubſtantiam eius in verum Chriſti corpus mutando, actione mirabili, quæ à Theologis Transſubſtantiatio vocatur. In Incarnationis myſterio clauſus fuit Chriſtus in vtero Virginali ſtellis ſplendidiore, & radiis ſolis puriore. In hoc verò ſacramento ingreditur miſerum pectus peccatoris immundi: ibi puer paruulus, qui anguſto capi benè poterat loco; Hic vir perfectæ ætatis triginta, & tres annos habens tantæ magnitudinis, integritatis, & gloriæ, quantum habet in cœlis ſedens ad dexteram Patris, quanquàm ſub quantitate, & accidentibus alienis: ibi mortalis, & paſſibilis; hic immortalis, & impaſſibilis? Illud ſemel tantùm factum eſt; hoc mirandum millies millies renouatur quotidiè. Illud fuit Nazarethæ in ſolo illo Angelico cubiculo glorioſæ Vir-

E 5

re, quod Angeli ſimul naturam, & gratiam in ſua creatione receperint, in quo dono eximio licet qui dignè ad hoc conuiuium accedunt; Angelis homines inuidere non debent, ſi enim illi in gratia creati fuerunt; hominibus in hoc diuino ſacramento totus fons gratiæ donatur. Ita à Doctore vocatur Angelico. Fons gratiæ. Vndè ortum habet, quòd plures homines majorem, quàm ipſi Angeli gloriam habebunt; & ratio eſt, quia in hac vita, in hoc diuini amoris conuiuio copioſo fuere gratiæ fonte potiti. Igitur in hoc non eſt cur homines Angelicæ felicitati inuideant; imò ſi Angeli affici poſſent inuidia, hominibus inuiderent, quòd ad manum habeant, & facilè perfrui poſſent tot diuitiarum fonte, tot donorum cœleſti theſauro.

Sed, nec debent homines angelis inuidere confirmatos in gratia fuiſſe, quæ tertia fuit excellentia, quam diximus, licet enim hoc maximum donum ſit. Verùm ſi homines diuini huius conuiuij velint ſe communire virtute, virtutum robur, ſalutem, & gratiæ vitam ſine detrimento ſeruabunt, ſine amiſſione cuſtodient. Cæterùm obijciet aliquis dicens. Si ſacramentum hoc tanta ad animæ conſeruandam ſalutem virtute pollet, quomodo multæ animæ, quæ ſacram ſynaxim frequentant paſſionibus, & vitiis ægrotant, nec vitæ frugem conſequuntur meliorem. Ita, vt poſſit conqueri Chriſtus Dauidico ore dicens. Quæ vtilitas in ſanguine meo, dùm deſcendo in corruptionem. Ac ſi diceret. Pretioſum ſanguinis mei medicamentum nihil eis prodeſt, imò in damnum vertitur, cum poſt ita ſalutare remedium deteriores maneant. Verùm hoc ſi attenta conſideratione perpendatur ex ſacramenti defectu non prouenit,

nec

Digitized by Google

nec virtus deeſt medicinæ, ex mala oritur diſpoſitione recipientis. Hoc veritas noſtra patebit exemplo. Habet pater filiam quam amat, & cuius ſalutem, vt propriam deſiderat, in morbum puella incidit, peritiores Pater medicos conuocat, pretioſa in curatione illius, medicamenta inſumuntur, & nullum illi prodeſt, in dies deterior macie, & ſqualore conficitur. Quid faciant medici ignorant, nec quæ ſit cauſa, ob quam ita ſalutaria pharmaca ægrotæ non proſint, inueſtigare non valent. Deníque reuelatum eſt illis puellam comedere terram. Et omnes vna voce dixerunt, ſi comedit terram mirum eſt, quòd non ſit iam ſepulta ſub terra, ſi comedit terram, quid mirum, quod pretioſa ei medicamenta non proſint, & macie ſit, & ſqualore confecta. Hoc eſt, quod multis, qui ad hoc Diuinum medicamentum accedunt, accidit, non curantur à vitiis, non ſanantur ab animæ morbis, quia terram comedunt. Sunt ex illis, de quibus dixit Paulus. *Qui terrena ſapiunt.* Omnia eorum deſideria terrena ſunt, diuitias, & delitias, honoréſque terrenos amant, cœli obliti honorum, ac ſi cœlo nati non eſſent; ſed, vt bruta ſolum terræ. Terrenorum deſideriis cor habent infectum, ideò eis nec ſuauis eſca, non pretioſa medicinæ proſunt *Probet ſeipſum homo*, & quomodo accedit, conſideret; ſi enim purgato affectu, & cœleſtium accedat fame bonorum, proculdubiò aſſequetur animæ ſalutem, quæ eſt gratia, robúrque, ne illam amittat, acquiret: & tanta plenitudine augebit, vt felicitati non inuideat Angelicæ, cùm in dies poſſit gratiam conſeruare, & augere, & magnum cum ea meritorum theſaurum; quòd non poſſunt Angeli.

Digitized by Google

Non demum debent qui dignè communicant, & hoc Diuini amoris conuiuio fruuntur Angelis in quarta inuidere excellentia, quòd ſcilicet gloriam poſſideant ſine metu amittendi; qui enim hunc cœli panem, hoc mannâ Diuinum digna præparatione recipit, gloriæ pignus poſſidendæ ſecurum recipit, potéſtque inter cœlicolas numerari. Hac ſimilitudine clarior conſtabit hæc veritas. Si Rex prudens, & potens regni ſui procerem in obſequiorum præmium, ſe eum ad Primariam aliquam dignitatem euecturum promiſiſſet; nemo euehendum fore dubitaret. Quod ſi non ſolùm Regia promiſſione; ſed iuramento verbum confirmaret, hæc procul dubio tam firma promiſſio, dignitatis putaretur poſſeſſio; Inſuper ſi Rex publicum chyrographum adderet Regio ſuo ſigillo ſignatum. Quis poſſet hoc vertere in dubium. Hæc à Theologis moralis certitudo vocatur. Hanc habet ille, qui hoc Diuini amoris conuiuium dignè frequentat. Idem quippè cœli, & terræ Rex Chriſtus ſe eos Reges in cœlo conſtituturum fore ſpopondit dicens. *Patres veſtri manducauerunt mannâ, & mortui ſunt, Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Hæc vita æterna vita eſt gloriæ, qua qui fruuntur omnes ſunt Reges. Hanc ſponſionem ipſe Dominus in Euangelio Ioannis iuramento confirmat c. 6. *Amen, Amen, dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis.* Hoc verbum Amen, vt aſſerunt interpretes ſacri vim habet iuramenti aſſertorij. Iurat ergo his Chriſtus ineffabilis veritas, quòd ille, qui viuificum cibum hunc non manducauerit, vitam in ſe non habebit, quod idem eſt, ac dicere, quod qui manducauerit

Digitized by Google

manducauerit vitam habebit, quæ vita non eſt alia, quam æterna, vt ipſe Dominus in eodem capitulo dicit. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.*

Nec vult ſolùm promiſſionem eandem iuramento confirmare, verùm etiam obligationis chyrographum facit, & ſigillo proprij ſanguinis munit. Cuius veritatis fidem ſacri Euangeliſtæ teſtantur, & Ioannes dicit ſe ſuis vidiſſe oculis ſanguinem, quo ſigillatus fuit chyrographus. *Et continuo exiuit ſanguis, & aqua, & qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius.* In aqua hoc Diuinum ſacramentum ſignatur iuxta illud Pſalmi. *Super aquam perfectionis*, & ſanguis, vt pretium illi daret, exiuit. Nam virtute illius aqua eſt ſaliens in vitam æternam. Sanguis hîc prætij infiniti rubrum atramentum eſt, quo ſigillatur promiſſio, quam Deus nobis facit vitæ æternæ, quæ nobis in hoc diuini amoris conuiuio donatur. De antiquis refertur Imperatoribus reſcripta ſua purpureo ſolitos eſſe ſigillare atramento, quod aliis vetitum erat. Chriſtus verò ſupremus mundi Imperator ſponſionem ſuam ſanguine pretij infiniti, vt quàm certa ſit intelligat homo, ſubſcribit. Et inſuper liberalis, & homines amans Princeps, vt eorum accendat amorem, &, vt verbo ſuo confidant, excitet fidem, quod numquam Rex cum ſeruis ſuis feciſſe narratur, ipſe Rex Regum cum hominibus fecit, ita pretioſum pignus illis donans, vt maioris pretij ſit, quàm ipſa promiſſa gloria, vt ex eorum cordibus omnem dubitationem depellat. Si mihi aureus vnus promitteretur, & pro eo monile mille aureorum pretij in pignus daretur, quis de adimpletione promiſſionis dubius iam eſſet? Cœ-

leſtis hic cibus pignus futuræ gloriæ ab Eccleſia vocatur, pignus ſemper pretioſius eſt eo, cuius pignus eſt, & pignus hoc infiniti pretij eſt, quia ipſe Deus infinitus eſt, & plus gloriam excedit, quàm mille aurei vnum. Igitur iure optimo aſſerere poſſumus, quod qui dignè hoc Diuino pane veſcuntur, & hoc Diuini amoris conuiuio fruuntur Angelis inuidere non debent, immò ſi Angeli capaces eſſent inuidiæ, tantæ felicitati inuiderent. Cœterùm aliquis quæret, quare panis hîc panis angelorum vocatur? iuxta illud. *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & panem angelorum manducauit homo.* Ergo Angelorum eſt, & illi nobis illum impertiuntur, & donant. Verùm non eſt panis angelorum per naturam; hi enim vt diximus, quia ſpiritus ſunt cibo non vtuntur corporeo. Et panis Angelorum per gratiam, qui homines ſunt, & panis huius virtute mores æmulantur Angelicos. Panis Angelorum eſt, quia qui hunc Angelorum accedunt manducaturi panem Angelicam debent puritatem imitari. Panis Angelorum vocatur, quia manna, quod Angelico miniſterio formabatur vmbra fuit eius. O térque, quatérque beati, qui tali panè veſcuntur, qui tali conuiuio fruuntur, qui tam Diuina eſca veſcuntur, quia eos Angelis pares, imò, & ſuperiores ſæpè conſtituat tam gratia, quàm gloria. Quis tantæ dignitatis excellentiam dignè perpendere poterit, vel ipſis linguis Angelicis? Quis pro beneficio ita immenſo æquales reddere gratias, etiàm ſi Seraphici omnes ſpiritus mutuò dent illi Diuini incendium amoris? ô Deus homines amans, quid in tam vilibus reſpexiſti creaturis, vt eas ad tam ſublimem dignitatem eueheres? quæ te cauſa mouit, vt in tantam eas extolleres

gloriam,

gloriam. Fuit proculdubiò, quoniam quam plurimæ noſtræ miſeriæ dignius obiectum ſunt infinitæ tuæ miſericordiæ.

FERCVLVM XXIV.

ITA EST HOC CONVIVIVM mirabile, vt ad id faciendum hominibus, renouet Deus in Sacerdotum manibus miranda omnia, quæ fecit factus homo in Virginis vtero.

INter cognomina, quæ in ſacris litteris Chriſto imponunt Prophetæ, myſteriis plenum eſt illud, quo à Propheta Rege appellatur pſ. 28. *Et dilectus meus, quemadmodum Filius Vnicornium.* Dilectus ideſt Chriſtus valde ſimilis eſt filio Vnicornium. In qua ergo Chriſtus Vnicornis ſimilitudine deſignatur. D. Iſidorus de Vnicorne dicit ita ferox, & immite animal eſſe, vt nulla arte, nec retibus, nec ſagittis, nec alio inſtrumento venandi capi vnquam à venatoribus poſſit. Nihilominus tamen ingenio cedit humano, & facili arte venatur. Degit hoc animal in deſerto Africæ, & cognito fonte, ad quem ſiti oppreſſus, vt bibat venturus eſt, quæritur pulcherrima Virgo pelo exornatur pretioſo, multíſque ditatur monilibus, ſedétque iuxta fontem; cúmque ad bibendum Vnicornis accedit puellæ intuetur decorem, & ſtupefactus miratur, illiúſque amore correptus ferocitatem in manſuetudinem mutat, & ſæuitiam in amorem, & paulatim puellæ ap-

propinquans in eius tandem ſinu recumbit, & dormit. Effert illa laqueos, quos affert, & pedes eius manúſque reuincit; & venatoribus tradit. Res quidem admiratione digna. Vtitur ea Sanctus Valentiæ Archiepiſcopus Thomas à Villanoua, & Incarnationis Filij Dei altiſſimo myſterio accommodat dicens. [Vltionum Deus omni feritate depoſita vnius Virginis amore, & pulchritudine tractus mitis, & manſuetus in eius vterum reclinatur.] Magnus ille Deus, qui quondam Deus vocabatur vltionum pulcherrimæ Virginis attractus amore, mitis factus, & humilis feritatem depoſuit, qua peccatoribus ſupplicia infligebat, & inter puriſſimæ Virginis reclinatus vbera ſe ligari permiſit funiculis Adami, & vinculis charitatis. Salutem hominum ſitiens deſcendit, & in huius mundi deſerto amantes oculos in Mariæ pulchritudinem, & honeſtatem coniecit, & in pretioſa ornamenta virtutum, donorum, & gratiarum, quibus Deus eam locupletauit, & inter omnia virginalis puritas eius cor Dei amore percuſſit, nam, vt meditatur Bernardus *Virginitate placuit*. Inuenit etiam illam in humilitatis terra ſedentem, & hæc deníque eum, vt in illius puriſſimo vtero reclinaretur, attraxit. *Humilitate concepit*, vt addit ipſe Bernardus. Tanta eſt harum excellentium virtutum vis, cùm connectuntur inuicem in corde humano, vt cor amore afficiant Diuinum. Ligauit eum puriſſimæ vinculis carnis, & hominibus tradidit. Nobis datus, nobis natus ex intacta Virgine, vt benefaciat, vt proſit, vt redimat, vt ſalutet. Tanto debito obſtringimur Deo, tanto Deiparæ.

Altiſſimo huic Incarnationis myſterio valdè ſimile eſt altaris ſacramentum; cùm in Miſſa à

Sacerdote

Sacerdote conſecratur. Magnus ille Deus, qui lucem habitat inacceſſibilem, qui hominum conſpectum fugiebat, qui Deus vocabatur vltionum, & de ſe dixerat. Non videbit me homo, & viuet, hominum ſitiens ſalutem à regalibus ſedibus venit, non iam in puriſſimum Virginis vterum; ſed ad viliſſimi peccatoris manus attractus virtute verborum, quibus ipſe mirabilem dedit virtutem. Mirandum rarum, immenſa charitas, infiniti exceſſus amoris. [O veneranda Sacerdotum dignitas Auguſtinus *Sup. pſal.* exclamat, in quorum manibus, tanquam in vtero Virginis Verbum Diuinum, quaſi iterùm incarnatur:] Tanta eſt verborum conſecrationis efficacia, vt eximius noſter Doctor Franciſcus Suarius *diſp.* 61 *ſect*, 1. *tom.* 3. *in* 39 *part.* non ſine magno fundamento dicat, quòd ſi Virgo Chriſtum non genuiſſet, nec eſſet in rerum natura in illis ſit virtus phyſica efficiens ad producendum Chriſti corpus in hoc ſacramento. Sententia eſt valdè conformis modo loquendi Concilij Florentini, & Tridentini, quæ illi hanc efficaciam tribuunt. Probatur item multorum authoritate Sanctorum. D. Ioannes Chryſtomus eis aſſerit hoc ſacramentum effici. D. Ioannes Damaſcenus. [Verba efficacia] vocat. Diuus Ambroſius [operatorium ſermonem.] D. Angelicus, [quædam, ait, eſt in eis virtus creata ad conuerſionem huius ſacramenti faciendam.] Quo loquendi modo vtitur Diuus Auguſtinus [panis certa conſecratione myſticus fit nobis] Si Deus virtutem homini daret, vt lapidem quibuſdam verbis in panem conuerteret, licet panis non eſſet in rerum natura, illum poſſent illa verba producere; eandem conſecrationis verba habent virtutem; itáque quamuis Chriſtus non eſſet, Chriſtum pro-

ducere poſſent, Quò vltra poteſt progredi poteſtas humana, quàm, vt homo Dei inſtrumentis ſit ad patrandum majus mirandum, quàm ipſe poteſt patrare Deus. Itáque his verbis ad Incarnationis operandum myſterium, ad producendum corpus, & animam Verbo vnitam Diuino cum omni donorum, virtutum, & gratiarum pulchritudine, & decore, quibus Sancta eius exornata eſt humanitas, virtus ineſt.

Mirabilis eſt virtus illa, quam Deus ſemini tribuit, vt ita pulchram arborem, malum videlicet citream, vel punicam tanta ramorum, foliorum, florum, & fructuum varietate producat. Verùm multò mirabilior, prodigioſior, & rarior verborum conſecrationis, quæ legitimus Sacerdos profert, virtus eſt; quantùm major gratia, quàm natura? ô Deus mirabilis in omnibus operibus tuis! Quam ob cauſam ita miranda, ita ſtupenda operaris, quis te ad magna hæc prodigia conſtringit, vis tui infiniti amoris, vt conuiuium hoc homini facias, & eum ad mutuum amorem conſtringas.

Non ſolum Sacerdos in myſterij magnitudine, quod operatur; verum etiam in operandi modo ſacratiſſimam Virginem imitatur. Octo verbis, quæ protulit Virgo dicens. *Ecce, ancilla, Domini, fiat, mihi, ſecundum, verbum, tuum*, Verbum Diuinum è ſinu Patris fecit deſcendere, & in anguſto, & auguſto vteri ſui diuerſorio diuertere. Sacerdos verò quatuor verbis ipſum facit deſcendere in manus ſuas, & in anguſto accidentium panis, & vini collocari termino. Res quidem omni admiratione digna. Cœterùm ad majorem huius myſterij ponderationem, & infinitæ bonitatis gloriam, quæ talem dignitatem hominibus

nibus dedit venia tua Sereniſſima angelorum Regina, & vix doctus, & ſpiritualis D, Antonius à Molina Carthuſianus. ſcribit Maieſtati, & Dignitati tuæ cum debita reuerentia loquendo, te cœli, & terræ reſpicientes Reginam, & vnicam Dominam noſtram; magna, quæ fecit tibi, qui potens eſt, & majora, quàm, quæ omnibus creaturis fecit non parui facientes; ſed hoc magnum Dei opus debita ponderatione exaltare volentes in circunſtantiis nonnullis, quibus nemo ire inficias audebit Euchariſtiæ myſterium præferre poſſumus, Incarnationis in te operato Myſterio, Deipara enim non fuit cauſa realis, & efficiens, vt Theologi docent; ſed ad ſummum aliquomodo meritoria, vt Verbum Diuinum in eius vtero homo fieret, Sacerdotis autem Verba, pauciora licet, quàm ea, quæ protulit Virgo virtutem realem, & Phyſicam, vt ſupra probauimus habent ad producendum Chriſti corpus in accidentibus panis ſubſtantiam eius in verum Chriſti corpus mutando, actione mirabili, quæ à Theologis Tranſſubſtantiatio vocatur. In Incarnationis myſterio clauſus fuit Chriſtus in vtero Virginali ſtellis ſplendidiore, & radiis ſolis puriore. In hoc verò ſacramento ingreditur miſerum pectus peccatoris immundi: ibi puer paruulus, qui anguſto capi benè poterat loco; Hic vir perfectæ ætatis triginta, & tres annos habens tantæ magnitudinis, integritatis, & gloriæ, quantum habet in cœlis ſedens ad dexteram Patris, quanquàm ſub quantitate, & accidentibus alienis: ibi mortalis, & paſſibilis; hic immortalis, & impaſſibilis? Illud ſemel tantùm factum eſt; hoc mirandum millies millies renouatur quotidiè. Illud fuit Nazarethæ in ſolo illo Angelico cubiculo glorioſæ Vir-

ginis ; Hoc in vniuerſo orbe terrarum , in omnibus fidelium Eccleſiis , quæ diſperſæ ſunt per orbem vniuerſum. Prodigium illud operatum fuit nullis teſtibus præter Virginem , & Angelum. Hoc Diuinum beneficium Miſſæ , hoc Diuini amoris conuiuium patentibus ianuis omnibus diei , & noctis horis ſecundùm varias mundi regiones , & plagas fidelibus omnibus donatur fruendum , ita , vt ſine vlla temporis interruptione iuge hoc ſacrificium Deo à Sacerdotibus continuò offertur , & quia ei nullum aliud magis placet , nullum aliud eum magis placat , ne mundum propter ſcelera , quæ enormitate ſua in dies creſcentia ei valdè diſplicent , funditùs euertat , quem , ſi hoc iugi non placaretur ſacrificio iam euertiſſet. In Parthenio vtero puriſſimo Virginis ſanguine alebatur Chriſtus , in pectore autem communicantis , illum alit, illum nutrit Chriſtus pretioſiſſimo corpore , & ſanguine ſuo Ibi à Maria humanitatem accepit. Hîc ei, qui ſe recipit corpus ſuum , animam ſuam , diuinitatem ſuam , & omnes , quos à Patre æterno ſuo recepit theſauros liberalis communicat. Ibi carnem , & ſubſtantiam Virginis in propriam ſubſtantiam conuertit ; Hic puriſſimam ſuam carnem tam intima vnione cum ſe manducandis carne commiſcet, ſicut cibus cum comedente vnitur. O Diuini amoris prodigia ! O Deus homines amans , qui ſic eos honorare voluiſti , ſic demulcere non dedignaris, talia operatus prodigia, vt eos honores, vt eis oſtendas amores?

Quamquàm verùm ſit in Diuino Filij Dei Incarnationis myſterio miranda , quæ operata eſt gratia ſupra omnes fuiſſe leges naturæ , & Deum factum fuiſſe hominem pro amore hominum prodigium

digium eſſe, quo ſtupefacti ſunt angeli. Nihilominùs tamen aliquomodo majora eſſe miranda, quæ in hoc ſacramento operantur dicere poſſumus. Si enim magnum miraculum fuit Verbum Diuinum corpori vniri, & animæ Chriſti, Virginem ſine viri conſortio concipere, ſimul eſſe, & matrem & Virginem, & poſt conceptum remanere puriorem. Hoc myſterium, hoc diuini amoris conuium omnia hæc miranda ſupponit, & noua alia addit rara, & mirabilia; caro quippè, & ſanguis, quem Sacerdos conſecrat idem eſt Verbo vnitus Diuino, idémque Chriſtus conceptus Spiritus Sancti virtute in puriſſimo Virginis vtero. Quibus mirandis additur, quòd panis, & vini accidentia ſint ſine propriis ſubſtantiis, & cum alienis corporis, & animæ Chriſti. Quod Chriſtus intùs in tota hoſtia, & totus in minima parte ſit; Partiri accidentia, & corpus non diuidi, eſſe ſimul eodem tempore totum in cœlo, & totum in qualibet mundi,in qua conſecratur Eccleſia, & non occupare locum, cùm verùm corpus ſit, cum aliis quam plurimis miraculis, quæ ex his deducuntur. Quamobrem Propheta Rex de hoc mirabili Sacramento loquens dixit. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.* Ac ſi diceret mirabilium omnium Dei epilogum hoc mirabile ſacramentum eſſe. Eſt igitur vltimus Diuinæ charitatis terminus, ſuprema attributorum Dei oſtenſio, & miraculorum Diuini amoris non plus vltrà, in quo amores, & fauores eius, illecebræ, & delitiæ Diuinæ eo peruenere, quo progredi vltrà non poſſint. Hîc tantum homini dedit, hîc tantum pro homine fecit, vt nec pro ſe, nec pro Patre æterno ſuo, à quo Diuinitatis eſſe recepit,

nec pro Spiritu Sancto amore ſuo ſibi reſtet maius dandum, maiúſve faciendum. Quid igitur facis anima mea pro eo, qui talia pro tuo amore fecit?

LECTORI REQVIES, & muſica conuiuij.

DIALOGVS INTER SANCTVM *Epiſcopum Sammonas, & Saracenum, in quo ſimilitudinibus humanis, huius Diuini myſterij veritas exponitur.*

EMeſſam Sanctus hic Epiſcopus cum familiaribus ſuis, & aliis quam plurimis, qui eum comitabantur iter agebat. Inter itineris comites quidam Saracenus erat. Sanctus Antiſtes, vt ei mos erat, ſancta volens itineris fatigationem leuare de rebus Diuinis colloqui cœpit. Ars facilis lucrandi animas cœlo, ſermonem cum eis de cœleſtibus miſcere. Saracenus aliqua interrogandi veniam petiit, qua obtenta dixit. Cùm Dominatio tua ſacrum facit, & Chriſtianis hoſtiam miniſtrat, vel fallere eos deſideras, vel tu te ipſum fallis, quomodo enim poteſt fieri, quod paruum illud fruſtum panis ſit corpus Chriſti? Reſpondit Dei ſeruus. Panis, quem quotidie manducas conuertitur ne in tuam carnem, & ſanguinem? Non poteris inficias ire; quomodo igitur panis in carnem, & ſanguinem commutatur? Dices ſtomachi calore concoqui, & in iecore in ſanguinem conuerti, qui per totum corpus diſperſus, partim in carnem, partim in oſſa, partim in neruos conuertitur; & ſic hominem alī, & augeri.

Dic-

Dic ergo mihi, quarè Deus potentia ſua infinita in hoc ſacramento non poterit facere, quod calor quotidiè poteſt in ſtomacho? Cum Chriſtus Dei Filius ſit Patri æterno in eſſentia; & potentia æqualis; ſi vnico voluntatis ſigno hoc vniuerſum creauit, & de nihili tenebris cœlum, & terram, & vniuerſas creaturas eduxit, & ſicut hunc mundum condidit poſſet innumeros facilitate eadem: Cur non poterit panem in corpus, & vinum in ſuum ſanguinem commutare? Conuictus Saracenus remanſit, & ſecundo interrogauit dicens: Demus quod Chriſtus voluerit in Eccleſia ſua cum Chriſtianis manere, cur potiùs ſub ſpeciebus panis, & vini voluit eſſe, quam ſub alia materia? Præſul Sanctus reſpondit. Vt diuinos ſignificaret effectus, quos Diuinum hoc ſacramentum in fidelium animis operatur, nihil aliud meliùs, & congruentius potuit eligere, quàm panem, vinum, & aquam; eſt quippè magis commune, & vſuale alimentum, aptiúſque ad conſeruandam vitam humanam. Itáque, vt conſeruaret, & augeret vitam animæ, id aſſumpſit, quod conuenientius eſt, ad conſeruandam & augendam vitam corporis.

Fidem adhibens reſponſioni infidelis vltimò interrogauit dicens. Habent quidem quæ dicis non parua nec vana fundamenta, demùm verò deſidero, vt mihi ad hanc interrogationem reſpondeas. Quomodo fieri poteſt, cùm Deus vnus ſit, & verum Chriſti corpus non ſit, niſi vnum, vt in infinita corpora diuidatur, & in tot, ac tam diuerſis locis ſimul ſit, videtur itáque, vel multos Chriſtos eſſe, vel in plures partes diuidi. Ad hanc vltimam interrogationem Sanctus Antiſtes reſpondit. Cum his materialibus ſimilitudinibus in-

uiſibili-

uiſibilia declaramus myſteria; quæ cum ſint inſtrumenta gratiæ, terminos excedunt naturæ; adiuuant tamen fidei lumen, vt ſacramenti poſſibilitatem credamus. Speculum accipe, & te aſpice, & vultum tuum integrum videbis, frange ſpeculum in quam plurima fruſta, & in ſingulis integrum tuum vultum videbis. Ita ſimiliter in tota hoſtia totum eſt Chriſti corpus, & cum in plures particulas diuiditur, integrum eſt in ſingulis, quamuis vnum numero ſit, ſicut vultus tuus vnus numero eſt, & integre videtur in quolibet ſpeculi fragmento. Et ſi adhuc velis aliam ſimilitudinem audi. Profer verbum vnum, vbi mille homines adſint, totum, & integrum verbum illud cum vnum tantum numero ſit ſimul eſt tempore eodem in auribus mille. Cum ergo hoc ſine miraculo quotidiè operetur, cur Chriſtus Dominus, qui maiora facere poteſt, quàm nos intelligere, corpus ſuum non poterit in millies millibus locare locis, altaribus, & hoſtiis, vt omnes eius fideles hoc diuino fauore in præmium fidei fruantur. His concluſus Saracenus fidei Chriſtianorum myſteria ineffabilia eſſe ingenuè confeſſus eſt.

Quo myſteria altiora, & ineffabiliora ſunt eò magis ineffabilia Dei attributa hominibus oſtendunt, & Deo altiſſimo, & Deo ineffabili digniora ſunt, & ideo eſſe credibiliora debent, & ſacrificium, quod Deo fides offert, ipſi gratius, & homini maioris meriti eſt.

LIBER II.

DE FRVCTIBVS QVOS IN ANIMA ARBORIS vitæ fructus producit in hoc Diuini amoris conuiuio.

FRVCTVS PRIMVS,

VT VIRTVTIS DECOREM, ET vitij deformitatem agnoſcat illam amore, hoc odio habeat, animam illuminat.

DVodecim fructus Ioannes in Apocalypſi affirmat ferri ab arbore vitæ per ſingulos annos, & ſingulis menſibus vnum. Supra iam diximus in myſtico hoc ligno diuinum hoc ſacramentum adumbrari, Diuinſque amoris conuiuium deſignari; in hoc ſecundo libro de his duodecim fructibus, qui cœleſtis menſæ huius fercula dulciſſima erunt breuiter agemus. Et primus ſit. Mentem hominis illuminat, vt maximam virtutis pulchritudinem agnoſcat, eámque maximo proſequatur amore, & horribilem vitij, & peccati

peccati deformitatem, illúdque plus, quam ipſam gehennam deteſtetur.

Verus ſol iuſtitiæ eſt Chriſtus, & vera lux, vt inquit Ioannes, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Itáque, ſicut tota lux, quam ſtella, in cœlo, & lapides pretioſi habent in terra, & ipſum elementum ignis à Sole, qui fons eſt lucis emendicatur. Ita tota gratia, quam vniuerſis creaturis intellectualibus, & rationalibus, hominibus ſcilicet, & Angelis Deus elargitus eſt à Chriſto emanat, qui totius ſanctitatis, & gratiæ fons eſt. Sicut enim corporalem Deus creauit creaturam, quæ inter omnes corporales excellentiſſima, lucidiſſima, & pulcherrima eſſet, voluítque vt de illa reliquæ omnes excellentiam, ſplendorem, & pulchritudinem haberent: Ita ſimiliter voluit inter intellectuales, & rationales alia eſſet, à qua, & per quam omnes perfectionem acciperent, & pulchritudinem gratiæ. Et hæc creatura excellentiſſima, lucidiſſima, & ſpecioſiſſima eſt Chriſti humanitas Verbo Diuino hypoſtaticè vnita. Homo puritate caſtitatis in corpore, & gratiæ in anima, velut laterna eſt puriſſimo effecta chryſtallo. Cum ergo, quando hoc pane diuino Chriſtianus veſcitur Chriſtus Dominus, qui ſol eſt iuſtitiæ, in corpus, & animam eius totus ingreditur, toto ſuo lumine, ac pulchritudine, quam plena luce, quam irradiata fulgoribus felix eius manebit anima, & tanto lumine quàm claram cognitionem habebit, vt mirabilem virtutis decorem agnoſcat, eámque amet & horribilem vitij, & peccati deformitatem, vt illud odio habeat.

D. Dionyſius Areopagita proprietates ſolis, quem videmus, in quibus inuiſibilem iuſtitiæ ſolem

Chriſtum,

Chriſtum, qui inter accidentium nubes in hoc ſacramento latet, nobis repræſentat, ſolita eloquentia notauit. [Sol, inquit, eſt ſignificatiua, expreſſa, & euidens diuinitatis, & Diuinæ bonitatis imago, illius radius immenſa ſplendoris magnitudine penetrat, ad vitam excitat, alit, auget, abſoluit, purgat, renouat.] Hæc Sanctus Antiſtes, ac ſi diceret. Verus ſol iuſtitiæ Chriſtus expreſſa eſt, & euidens Diuinitatis, & infinitæ bonitatis imago, &, vt ſummè bonum, ſummè ſui diffuſiuum eſt, radius luminis eius immenſa ſplendoris magnitudine ſe communicantis animam penetrat, viuificat, alit, & Diuino hoc lumine augetur, & abſoluta, purificata, & renouata manet. Qui ſolem in ſe ita diuinum recipit, nullatenus poteſt non remanere lumine illuſtratus diuino, quo virtutis incomparabilem decorem cognoſcat, vt illam amet, & vitij, & peccati horribilem deformitatem, & illud odio habeat, & fugatis paſſionum tenebris ſoli ſimilis reddatur, qui viſcera penetrauit illius. Conare igitur anima mea, vt cor tuum purum, ac mundum velut ſpeculum ſit, vt Diuinus hic ſol, qui expreſſa eſt diuinitatis, & infinitæ bonitatis imago in te reſplendeat, & de ſuis radiis illuſtret, & radius immenſæ lucis illius vitam tibi, alimentum, augmentum, abſolutionem, puritatem, & renouationem immenſa liberalitate largietur.

Sol hic Diuinus myſticam menſam habet ad quam genus inuitat humanum ſine perſonarum acceptione, vt omnes, qui illecebris, & dulciſſimis dapibus eius perfrui velint, ad illam ſedeant. Celeberrima fuit inter antiquos menſa illa ſolis, quam Diuus Hieronymus in prologo Epiſtolæ ad Paulinum famoſiſſimam vocat. In Æthiopia poſitam:

tam fuiſſe refertur ſemper omni hora multis, & diuerſis dapibus, & pretioſis cibis refertam, quibus pro libito omnibus veſci licebat. Fercula, quæ in ea miniſtrabantur, vt fama erat non manibus afferebantur hominum; ſed Dei prouidentia, & virtute in menſa ipſa naſcebantur & Diuina potentia creabantur. Cùm Seuerus Imperator Alexandriam perueniſſet, rei nouitatem admirans, & tam mirabilis prodigij ocularem teſtem eſſe deſiderans profectus eſt in locum, in quo hoc operabatur mirandum. Quid inuenerit, aut viderit non enarratur in hiſtoriis nec an ſit menſa fabuloſa, vel ſymbolica. Nonnulli ſymbolum fuiſſe dicunt donorum diuitum, quorum menſæ pauperibus omnibus ſine acceptione perſonarum patere debent.

Cæterùm proculdubio eſt in Eccleſia Chriſti veri Solis paratam ſemper menſam eſſe, vt omnes, qui velint ſedere ad eam, inueniant in ea omnium malorum, & laborum ſuorum remedium, omniáque bona, delitias, & illecebras, quæ animæ, & corpori poſſent deſiderare. Cúmque ſolis menſa ſit, compertum eſt, quod nec prandium, nec cœnam ſine lumine accipient, immò ſemper Solarium radiorum ſplendore fruentur. Quo lumine magnitudinem, & pretioſitatem bonorum, quæ recipiunt agnoſcant, virtutis ſcilicet decorem, quam ament: peccati deformitatem, quam abhorreant plus quam gehennam ipſam. Cum igitur Deus tanta ſe in homines liberalitate diffundat, cur homines in Dei obſequio tanta ſe parcitate coanguſtant? vel ſuæ improuide vtilitati, & commodo, cur inuitatus ad menſam Dei, vt in ea illecebris potiatur diuinis renuit conuiuium, vt ſe tradat curis, & delitiis humanis? Non

poteſt

poteſt vltrà procedere benignitas diuina, nec ingratitudo humana, illa bona ſua communicando, hæc contemnendo, vocat Deus hominem, vt luce cœlèſti fruatur, ille vult in tenebris, & in vmbra mortis ſedere. Non ita contigit animabus ſanctis, in quibus Diuinum hoc ſplendet ſacramentum, vt ſol in Chryſtallis. Hoc eſt, quod nobis voluit ſignificare Paulus 1. Ad Timotheum 3. dicens. *Manifeſtò magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne.* Vbi verſio Syriaca legit Deus, quaſi ſub diaphano Chryſtalli apparuit, & effulſit in carne. Conetur igitur homo puritatem habere Chryſtalli, & pulchro ſolis ſplendore potietur.

FRVCTVS II.

IN HOC CONVIVIO, DIVINO feræ manſueſcunt paſſiones videlicet humanæ.

ERat Daniel, vt ſacer aſſerit textus in lacu leonum famem patientium inter mortuos numeratus, & à viuis perſecutus, & vitam, cui frementium beſtiarum fames pepercerat alimenti penuria maiori periculo obiecerat. Ad Diuinum media oratione, quæ omnium eſt leuamen malorum, & omnium theſaurus bonorum, auxilium accurrit. Et quoniam promiſſio eſt diuina, quod perire, & deſeri iuſtus non poſſit, Deus Angelum miſit, qui Habacuc Prophetam apprehendit in vertice eius, & portauit eum capillo capitis eius, poſuitque

que eum in Babylonem ſuper lacum in impetu ſpiritus ſui. Et clamauit Habacuc dicens. Daniel tolle prandium, quod miſit tibi Deus. Et ait Daniel: Recordatus eſt enim mei Deus, & non dereliquiſti quærentes te. Habuit ergo ſeruus Dei Daniel, viſo Habacuc in labore requiem, in triſtitia ſolatium, in ſolitudine conſortium, in fame alimentum, & ieiuni leones ipſum comedentem cernebant, in manſuetudinem feritate mutata. Ego hîc in hoc conuiuio Diuino hunc fructum inuenio, quod ſcilicet hoc cœleſti cibo paſſiones miteſcunt humanæ. Daniel non minus, quam Abraham cognouit, & vidit in ſpiritu Chriſtum venturum, vt mundum redimeret vita ſua morte, & paſſione ſua vidit, & gauiſus eſt, cognouit, & vidit myſteria altiſſima, quæ operaturus erat, nec dubium eſſe poteſt, quin ſpiritu prophetico cognouerit ſub panis ſpecie ſe traditurum, manducandum hominibus, cúmque tanta fame preſſus eſſet, quin hoc ſatiari cibo peroptaret cœleſti. Quod ſanctum deſiderium Deus præmio afficere volens feroces beſtias illas miteſcere fecit, ne eum comederent, eique quod comederet miſit. In cibo autem manibus Prophetæ portato quis non videat ſymbolum aliud diuini huius ſacramenti, quod per Sacerdotum manus fideli populo miniſtratur, & per quod crudeles beſtiæ, humanæ ſcilicet paſſiones miteſcunt. Quis enim ſuperbia tumeat ita Deum humiliatum cernens, vt ſe homini vili edendum præbeat? Quis bona temporalia ſitiat, cum ei Deus ita copioſè largiatur æterna? Quis terræ delicias aueat, cùm hic habeat cœleſtes? Quis exardeat ira, ſic mitem, ſic amabilem Deum conſiderans? Quis cupiat dapes terrenas, cum hic poſſit veſci cœleſtibus? Quis

honores

honores ambiat humanos ad dignitatem exaltatus ita Diuinam, vt ſi Angel affici poſſent inuidia hominibus inuiderent eos ad Dei menſam ſedere videntes, ad quam ipſi non, vt conuiuæ aſſident; ſed, vt ſerui miniſtrant? Quis deníque tepore correptus Deo ſeruiat, qui cor eius ingreditur pruna ignis effectus, vt ſuo eum diuino incendat amore, & ab hac menſa, vt leo ignem ſpirans recedat? Sic Diuus Chryſoſtomus loquitur. [Tanquam leones, ait, ignem ſpirantes ab hac menſa recedamus.] Itaque in hoc conuiuio Diuino omnes feræ paſſiones ſcilicet manſueſcunt humanæ.

Ditiores inimici, quos homo habet, ſunt vitia eius, durius bellum, quod contra ipſum illius immortificati gerunt affectus. Inimici alij nocent corpori; hi autem animæ; alij aurum, & argentum auferunt, hi virtutes, & gratiam. Illi homines ſpoliant bonis temporalibus, & terrenis; hi cœleſtibus, & æternis. Quæ igitur res maioris pretij, & vtilitatis poteſt reperiri, quóque talis virtutis gladius, quo facile ita potentes, ac crudeles debellentur, & vindicentur inimici. Qui verò hic gladius ſit docet nos ſacer textus *in c.7. Iudic.* Magnus, & potens Madianitarum exercitus Iſraëliticum populum, cùm Dux eius Gedeon eſſet, obſidione graui oppreſſum habebat, Gedeoni autem trecenti tantum milites ſupererant. Ex his vnus nocte prælium ante ſedenti myſticum ſomnium habuit, quod enarrans dixit. *Vidi ſomnium, & videbatur mihi, quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volui, & in caſtra Madian deſcendere, cúmque peruenisſet ad tabernaculum percuſſit illud, atque ſubuertit, & terra funditus coæquauit.* *Reſpondit is*, cui loquebatur, *non eſt hoc aliud, niſi gladius Gedeonis.* Magnum quidem

dem myſterium. Si panis erat, quomodo gladius? Si gladius quomodo panis? In quo poteſt panis ſimilis eſſe gladio? nec gladius panis? Septuaginta interpretes legerunt. *Menſa panis hordeacei.* Non enim ſolum panis erat; ſed menſa panis. Cui alludere Rex Propheta videtur cum dixit. *Paraſti in conſpectu meo menſam aduersù, eos, qui tribulant me.* Alij verò, vt inquit Abulenſis, legerunt caniſtrum panis, quod diſcurrens per exercitum panis placentas effundebat, quibus Madianitarum tabernacula funditus euertebat. Euerſionis modum fuſius verſio expoſuit Chaldæa dicens. *Et euertit illud ad ſurſum.* Quaſi panis, ſulphureus cuniculus eſſet ad ſurſum tabernacula proijciebat, quæ in terram mox deſtructa ruebant. Panis igitur, qui tabernacula euertit, & exercitus deſtruit, & ita potentes inimicos vincit, & ſubijcit iure optimo gladius appellatur. Quid verò aliud placentarum panis caniſtrum, quod Madianitarum tabernacula euertit, niſi conſecratarum formarum pyxidem, quæ animæ inimicos debellat, vinciſque, ſignificare poteſt? vitia enim fugat, tabernacula eorum humanas ſcilicet delicias, peccatorum officinas funditùs euertit. Qui ergo paſſiones ſuas vincere optat, & vitia deſtruere ad hanc ſedeat menſam, hoc conuiuio fruatur, hunc panem accipiat, & perilluſtri victoria, & pace tuta potietur.

FRVCTVS

Digitized by Google

FRVCTVS III.

QVIA CORPVS VIRGINEVM EST, & in puro, & virgineo ventre conceptum, virginitatem puritatémque confert.

SPiritus Sancti conſilium eſt, Ex ſapientis ore, *Prou.* 23. 31. *Ne intuearis vinum, quando flaueſcit, cum ſplenduerit in vitro color eius, ingreditur blandè; ſed in nouiſſimo mordebit, vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet.* Quæ virulentior ſerpens, quam luxuria, qui regulus veneno nocentior, quam appetitus carnis, ſolo viſu enecat. Damno ſuo Dauid vim huius expertus eſt veneni, viſa fœmina vita eum priuauit animæ. Quæ veneni violentia poteſt excogitari maior, animam occidit, quæ mori non poteſt; priuat enim eam Deo, qui vita eſt eius. Itáque in vino mortiferum hoc deſignatur venenum, & in eo deſignatur, quia cauſatur ab eo, & in eius proprietatibus repræſentatur. Quapropter Paulus dixit. *Vinum in quo eſt luxuria.* Et D. Hieronymus iuuenes præcipuè admonens dixit. *Vinum, & adoleſcentia duo incendia.* Cum igitur ita mortiferum ſit vinum venenum, quo remedio vtendum, ne noceat. Ars fuit Diuini ingenij Filij Dei Chriſti, qui è cœlo venit, ſua nobis dona daturus, & noſtra mala medicaturus. Conficiatur theriaca Diuina, vinum mulſum, & pretioſum condiatur, & contra vinum, quod inhoneſtas cogitationes producit,

producit, bibat homo cordiale vinum germinans virgines Hoc eſt merum illud pretioſum, de quo dixit Zacharias, *c. 9. Quid bonum eius, aut quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* Bonitas, pulchritudo, puritas, & virginitas, omnia hæc in pretioſo, & ſuaui vino, quod Chriſtus conuiuis ſuis propinat mirum in modum inueniuntur, in hoc Diuini amoris conuiuio. Innata ſunt ad ſcopum noſtrum verba Diui Paſchalis exponentis hunc locum. [Non, ait, niſi electorum eſt cibus, ex quo bonum ſalutis Eccleſiæ; & pulchritudo decoris ſaluatur, quia & ſi quotidiè ſordeſcit, exindè reparatur, vt ſponſo Chriſti ſine macula, & ruga talibus reperiatur reſperſa muneribus, & vinum germinans virgines.] Felix fructus vbertatis, in quo virginitas germinatur; nam in hoc noſtri generis vino caſtitas corrumpitur; ab iſto verò virgines procreantur. Et ideò iure omnis Eccleſia virgo nominatur, quia iſto repleta vino, nullum præter Chriſtum amare nouit, nullum eſurire alium, nullúmque ſitire. Hæc Doctor Sanctus. Quis igitur, vt cœleſtibus his fruatur effectibus, & in corde ſuo diuinos hos commoueat affectus: Spiritus Sancti non obaudiat ſalutari conſilio? *Bibite amici, & inebriamini chariſſimi.*

Hos diuinos effectus ipſe nobis præſignauit Deus, quando primum noſtrum parentum creauit myſtica quadam actione bonitatis digna infinitæ, in qua non parum dignitas reuelatur humana. *Gen. 2. Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Aperuit os ſuum Deus, & diuino halitu illius faciem inſufflauit Adami, eíque vitæ ſpiritum infudit. Plena eſt hæc actio myſteriis. Cur Deus halitu oris ſui faciem inſufflauit Adami? Ratio

procuIdubio

proculdubio fuit, quia in facie hominis omnes humani ſenſus ſunt, voluítque Deus omnes illos purificare, ſanctificaréque. Voluit hominem caſtos, modeſtóſque habere oculos, aures vanitati clauſas, & diuinæ exequendæ voluntati apertas, olfactum eius liliorum puritatis, & caſtitatis bono odore recreari; guſtum eius abſtinentia temperatum, & ad prohibitas delitias refrænatum; Factum denique Diuini halitus contactu brutalis appetitus ſenſuales motus cohiberi. Excurſus eſt iſte Mediolanenſis Archiepiſcopi dignus *Lib. ep.*41. hoc exponens myſterium, eandem attigit cauſam. [Hinc intelligo, inquit Ambroſius, qua cauſa Dominus Deus inſufflauit in faciem hominis: ibi enim ſenſus omnes, ibi ſedes, atque illecebræ delectationes, in oculis, auribus, naribus, atque in ore vt ſenſus noſtros aduersùs delectationes fortiores faceret.] Hæc Sanctus Doctor.

Cum igitur diuini oris ſolus halitus, puritatem in ſenſus infundat humanos, qui animæ ianuæ ſunt; quæ immundis objectis clauſæ caſtum corpus, & mundam animam ſeruant; Quas pluſquàm Angelicæ puritatis producet effectus? non iam ſolus Diuini halitus oris; ſed totus Deus, qui in accidentibus panis abſconditus ipſum communicantis pectus ingreditur, illi corpus ſuum, & animam, diuinitatem, omnéſque ſuos theſauros communicans, omnéſque virtutes? Ita quidem ſæpè videmus eos, qui menſam hanc cœleſtem debita diſpoſitione frequentant, & hoc Diuini amoris conuiuio fruuntur, in oculis modeſtiam, in auribus circunſpectionem, in cibo temperantiam, in verbis moderationem, in omnibúſque ſuis actionibus rectitudinem obſeruare, & hac

peccati deformitatem, illúdque plus, quàm ipſam gehennam deteſtetur.

Verus ſol iuſtitiæ eſt Chriſtus, & vera lux, vt inquit Ioannes, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Itáque, ſicut tota lux, quam ſtella, in cœlo, & lapides pretioſi habent in terra, & ipſum elementum ignis à Sole, qui fons eſt lucis emendicatur. Ita tota gratia, quam vniuerſis creaturis intellectualibus, & rationalibus, hominibus ſcilicet, & Angelis Deus elargitus eſt à Chriſto emanat, qui totius ſanctitatis, & gratiæ fons eſt. Sicut enim corporalem Deus creauit creaturam, quæ inter omnes corporales excellentiſſima, lucidiſſima, & pulcherrima eſſet, voluítque vt de illa reliquæ omnes excellentiam, ſplendorem, & pulchritudinem haberent: Ita ſimiliter voluit inter intellectuales, & rationales alia eſſet, à qua, & per quam omnes perfectionem acciperent, & pulchritudinem gratiæ. Et hæc creatura excellentiſſima, lucidiſſima, & ſpecioſiſſima eſt Chriſti humanitas Verbo Diuino hypoſtaticè vnita. Homo puritate caſtitatis in corpore, & gratiæ in anima, velut laterna eſt puriſſimo effecta chryſtallo. Cum ergo, quando hoc pane diuino Chriſtianus veſcitur Chriſtus Dominus, qui ſol eſt iuſtitiæ, in corpus, & animam eius totus ingreditur, toto ſuo lumine, ac pulchritudine, quam plena luce, quam irradiata fulgoribus felix eius manebit anima, & tanto lumine quàm claram cognitionem habebit, vt mirabilem virtutis decorem agnoſcat, eámque amet & horribilem vitij, & peccati deformitatem, vt illud odio habeat.

D. Dionyſius Areopagita proprietates ſolis, quem videmus, in quibus inuiſibilem iuſtitiæ ſolem

Chriſtum,

Chriſtum, qui inter accidentium nubes in hoc ſacramento latet, nobis repræſentat, ſolita eloquentia notauit. [Sol, inquit, eſt ſignificatiua, expreſſa, & euidens diuinitatis!, & Diuinæ bonitatis imago, illius radius immenſa ſplendoris magnitudine penetrat, ad vitam excitat, alit, auget, abſoluit, purgat, renouat.] Hæc Sanctus Antiſtes, ac ſi diceret. Verus ſol iuſtitiæ Chriſtus expreſſa eſt, & euidens Diuinitatis, & infinitæ bonitatis imago, &, vt ſummè bonum, ſummè ſui diffuſiuum eſt, radius luminis eius immenſa ſplendoris magnitudine ſe communicantis animam penetrat, viuificat, alit, & Diuino hoc lumine augetur, & abſoluta, purificata, & renouata manet. Qui ſolem in ſe ita diuinum recipit, nullatenus poteſt non remanere lumine illuſtratus diuino; quo virtutis incomparabilem decorem cognoſcat, vt illam amet, & vitij, & peccati horribilem deformitatem, & illud odio habeat, & fugatis paſſionum tenebris ſoli ſimilis reddatur, qui viſcera penetrauit illius. Conare igitur anima mea, vt cor tuum purum, ac mundum velut ſpeculum ſit, vt Diuinus hic ſol, qui expreſſa eſt diuinitatis, & infinitæ bonitatis imago in te reſplendeat, & de ſuis radiis illuſtret, & radius immenſæ lucis illius vitam tibi, alimentum, augmentum, abſolutionem, puritatem, & renouationem immenſa liberalitate largietur.

Sol hic Diuinus myſticam menſam habet ad quam genus inuitat humanum ſine perſonarum acceptione, vt omnes, qui illecebris, & dulciſſimis dapibus eius perfrui velint, ad illam ſedeant. Celeberrima fuit inter antiquos menſa illa ſolis, quam Diuus Hieronymus in prologo Epiſtolæ ad Paulinum famoſiſſimam vocat. In Æthiopia poſi-

tam

tam fuiſſe refertur ſemper omni hora multis, & diuerſis dapibus, & pretioſis cibis refertam, quibus pro libito omnibus veſci licebat. Fercula, quæ in ea miniſtrabantur, vt fama erat non manibus afferebantur hominum; ſed Dei prouidentia, & virtute in menſa ipſa naſcebantur & Diuina potentia creabantur. Cùm Seuerus Imperator Alexandriam perueniſſet, rei nouitatem admirans, & tam mirabilis prodigij ocularem teſtem eſſe deſiderans profectus eſt in locum, in quo hoc operabatur mirandum. Quid inuenerit, aut viderit non enarratur in hiſtoriis nec an ſit menſa fabuloſa, vel ſymbolica. Nonnulli ſymbolum fuiſſe dicunt donorum diuitum, quorum menſæ pauperibus omnibus ſine acceptione perſonarum patere debent.

Cæterùm proculdubio eſt in Eccleſia Chriſti veri Solis paratam ſemper menſam eſſe, vt omnes, qui velint ſedere ad eam, inueniant in ea omnium malorum, & laborum ſuorum remedium, omniáque bona, delitias, & illecebras, quæ animæ, & corpori poſſent deſiderare. Cúmque ſolis menſa ſit, compertum eſt, quod nec prandium, nec cœnam ſine lumine accipient, immò ſemper Solarium radiorum ſplendore fruentur. Quo lumine magnitudinem, & pretioſitatem bonorum, quæ recipiunt agnoſcant, virtutis ſcilicet decorem, quam ament: peccati deformitatem, quam abhorreant plus quam gehennam ipſam. Cum igitur Deus tanta ſe in homines liberalitate diffundat, cur homines in Dei obſequio tanta ſe parcitate coanguſtant? vel ſuæ improuide vtilitati, & commodo, cur inuitatus ad menſam Dei, vt in ea illecebris potiatur diuinis renuit conuiuium, vt ſe tradat curis, & delitiis humanis? Non

poteſt

poteſt vltrà procedere benignitas diuina, nec ingratitudo humana, illa bona ſua communicando, hæc contemnendo, vocat Deus hominem, vt luce cœlèſti fruatur, ille vult in tenebris, & in vmbra mortis ſedere. Non ita contigit animabus ſanctis, in quibus Diuinum hoc ſplendet ſacramentum, vt ſol in Chryſtallis. Hoc eſt, quod nobis voluit ſignificare Paulus 1. Ad Timotheum 3. dicens. *Manifeſtò magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne.* Vbi verſio Syriaca legit Deus, quaſi ſub diaphano Chryſtalli apparuit, & effulſit in carne. Conetur igitur homo puritatem habere Chryſtalli, & pulchro ſolis ſplendore potietur.

FRVCTVS II.

IN HOC CONVIVIO, DIVINO feræ manſueſcunt paſſiones videlicet humanæ.

ERat Daniel, vt ſacer aſſerit textus in lacu leonum famem patientium inter mortuos numeratus, & à viuis perſecutus, & vitam, cui frementium beſtiarum fames pepercerat alimenti penuria maiori periculo obiecerat. Ad Diuinum media oratione, quæ omnium eſt leuamen malorum, & omnium theſaurus bonorum, auxilium accurrit. Et quoniam promiſſio eſt diuina, quod perire, & deſeri iuſtus non poſſit, Deus Angelum miſit, qui Habacuc Prophetam apprehendit in vertice eius, & portauit eum capillo capitis eius, poſuitque

que eum in Babylonem ſuper lacum in impetu ſpiritus ſui. Et clamauit Habacuc dicens. Daniel tolle prandium, quod miſit tibi Deus. Et ait Daniel: Recordatus eſt enim mei Deus, & non dereliquiſti quærentes te. Habuit ergo ſeruus Dei Daniel, viſo Habacuc in labore requiem, in triſtitia ſolatium, in ſolitudine conſortium, in fame alimentum, & ieiuni leones ipſum comedentem cernebant, in manſuetudinem feritate mutata. Ego hîc in hoc conuiuio Diuino hunc fructum inuenio, quod ſcilicet hoc cœleſti cibo paſſiones miteſcunt humanæ Daniel non minus, quam Abraham cognouit, & vidit in ſpiritu Chriſtum venturum, vt mundum redimeret vita ſua morte, & paſſione ſua vidit, & gauiſus eſt, cognouit, & vidit myſteria altiſſima, quæ operaturus erat, nec dubium eſſe poteſt, quin ſpiritu prophetico cognouerit ſub panis ſpecie ſe traditurum, manducandum hominibus, cúmque tanta fame preſſus eſſet, quin hoc ſatiari cibo peroptaret cœleſti. Quod ſanctum deſiderium Deus præmio afficere volens feroces beſtias illas miteſcere fecit, ne eum comederent, eique quod comederet miſit. In cibo autem manibus Prophetæ portato quis non videat ſymbolum aliud diuini huius ſacramenti, quod per Sacerdotum manus fideli populo miniſtratur, & per quod crudeles beſtiæ, humanæ ſcilicet paſſiones miteſcunt. Quis enim ſuperbia tumeat ita Deum humiliatum cernens, vt ſe homini vili edendum præbeat? Quis bona temporalia ſitiat, cum ei Deus ita copioſè largiatur æterna? Quis terræ delicias aueat, cùm hic habeat cœleſtes? Quis exardeat ira, ſic mitem, ſic amabilem Deum conſiderans? Quis cupiat dapes terrenas, cum hic poſſit veſci cœleſtibus? Quis honores

honores ambiat humanos ad dignitatem exaltatus ita Diuinam, vt ſi Angel affici poſſent inuidia hominibus inuiderent eos ad Dei menſam ſedere videntes, ad quam ipſi non, vt conuiuæ aſſident; ſed, vt ſerui miniſtrant? Quis denique tepore correptus Deo ſeruiat, qui cor eius ingreditur pruna ignis effectus, vt ſuo eum diuino incendat amore, & ab hac menſa, vt leo ignem ſpirans recedat? Sic Diuus Chryſoſtomus loquitur. [Tanquam leones, ait, ignem ſpirantes ab hac menſa recedamus.] Itaque in hoc conuiuio Diuino omnes feræ paſſiones ſcilicet manſueſcunt humanæ.

Ditiores inimici, quos homo habet, ſunt vitia eius, durius bellum, quod contra ipſum illius immortificati gerunt affectus. Inimici alij nocent corpori; hi autem animæ; alij aurum, & argentum auferunt, hi virtutes, & gratiam. Illi homines ſpoliant bonis temporalibus, & terrenis; hi cœleſtibus, & æternis. Quæ igitur res maioris pretij, & vtilitatis poteſt reperiri, quóque talis virtutis gladius, quo facile ita potentes, ac crudeles debellentur, & vindicentur inimici. Qui verò hic gladius ſit docet nos ſacer textus *in c.7. Iudic.* Magnus, & potens Madianitarum exercitus Iſraëliticum populum, cùm Dux eius Gedeon eſſet, obſidione graui oppreſſum habebat, Gedeoni autem trecenti tantum milites ſupererant. Ex his vnus nocte prælium ante ſedenti myſticum ſomnium habuit, quod enarrans dixit. *Vidi ſomnium, & videbatur mihi, quaſi ſubcineritius panis ex hordeo volui, & in caſtra Madian deſcendere, cúmque peruenisset ad tabernaculum percuſſit illud, atque ſubuertit, & terra funditus coæquauit. Reſpondit is*, cui loquebatur, *non eſt hoc aliud, niſi gladius Gedeonis.* Magnum quidem

dem myſterium. Si panis erat, quomodo gladius? Si gladius quomodo panis? In quo poteſt panis ſimilis eſſe gladio? nec gladius panis? Septuaginta interpretes legerunt. *Menſa panis hordeacei.* Non enim ſolum panis erat; ſed menſa panis. Cui alludere Rex Propheta videtur cum dixit. *Paraſti in conſpectu meo menſam aduersùs eos, qui tribulant me.* Alij verò, vt inquit Abulenſis, legerunt caniſtrum panis, quod diſcurrens per exercitum panis placentas effundebat, quibus Madianitarum tabernacula funditus euertebat. Euerſionis modum fuſius verſio expoſuit Chaldæa dicens. *Et euertit illud ad ſurſum.* Quaſi panis, ſulphureus cuniculus eſſet ad ſurſum tabernacula proijciebat, quæ in terram mox deſtructa ruebant. Panis igitur, qui tabernacula euertit, & exercitus deſtruit, & ita potentes inimicos vincit, & ſubijcit iure optimo gladius appellatur. Quid verò aliud placentarum panis caniſtrum, quod Madianitarum tabernacula euertit, niſi conſecratarum formarum pyxidem, quæ animæ inimicos debellat, vinciſque, ſignificare poteſt? vitia enim fugat, tabernacula eorum humanas ſcilicet delicias, peccatorum officinas funditùs euertit. Qui ergo paſſiones ſuas vincere optat, & vitia deſtruere ad hanc ſedeat menſam, hoc conuiuio fruatur, hunc panem accipiat, & perilluſtri victoria, & pace tuta potietur.

FRVCTVS

Digitized by Google

FRVCTVS III.

QVIA CORPVS VIRGINEVM EST, & in puro, & virgineo ventre conceptum, virginitatem puritatémque confert.

SPiritus Sancti conſilium eſt, Ex ſapientis ore. *Prou.23.31. Ne intuearis vinum, quando flaueſcit, cum ſplenduerit in vitro color eius, ingreditur blandè; ſed in nouiſſimo mordebit, vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet.* Quæ virulentior ſerpens, quam luxuria, qui regulus veneno nocentior, quam appetitus carnis, ſolo viſu enecat. Damno ſuo Dauid vim huius expertus eſt veneni, viſa fœmina vita eum priuauit animæ. Quæ veneni violentia poteſt excogitari maior, animam occidit, quæ mori non poteſt; priuat enim eam Deo, qui vita eſt eius. Itáque in vino mortiferum hoc deſignatur venenum, & in eo deſignatur, quia cauſatur ab eo, & in eius proprietatibus repræſentatur. Quapropter Paulus dixit. *Vinum in quo eſt luxuria.* Et D. Hieronymus iuuenes præcipuè admonens dixit. *Vinum, & adoleſcentia duo incendia.* Cum igitur ita mortiferum ſit vinum venenum, quo remedio vtendum, ne noceat. Ars fuit Diuini ingenij Filij Dei Chriſti, qui è cœlo venit, ſua nobis dona daturus, & noſtra mala medicaturus. Conficiatur theriaca Diuina, vinum mulſum, & pretioſum condiatur, & contra vinum, quod inhoneſtas cogitationes producit,

producit, bibat homo cordiale vinum germinans virgines Hoc eſt merum illud pretioſum, de quo dixit Zacharias, *c. 9. Quid bonum eius, aut quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* Bonitas, pulchritudo, puritas, & virginitas, omnia hæc in pretioſo, & ſuaui vino, quod Chriſtus conuiuis ſuis propinat mirum in modum inueniuntur, in hoc Diuini amoris conuiuio. Innata ſunt ad ſcopum noſtrum verba Diui Paſchalis exponentis hunc locum. [Non, ait, niſi electorum eſt cibus, ex quo bonum ſalutis Eccleſiæ; & pulchritudo decoris ſaluatur, quia & ſi quotidiè ſordeſcit, exindè reparatur, vt ſponſo Chriſti ſine macula, & ruga talibus reperiatur reſperſa muneribus, & vinum germinans virgines.] Felix fructus vbertatis, in quo virginitas germinatur; nam in hoc noſtri generis vino caſtitas corrumpitur; ab iſto verò virgines procreantur. Et ideò iure omnis Eccleſia virgo nominatur, quia iſto repleta vino, nullum præter Chriſtum amare nouit, nullum eſurire alium, nullúmque ſitire. Hæc Doctor Sanctus. Quis igitur, vt cœleſtibus his fruatur effectibus, & in corde ſuo diuinos hos commoueat affectus: Spiritus Sancti non obaudiat ſalutari conſilio? *Bibite amici, & inebriamini chariſſimi.*

Hos diuinos effectus ipſe nobis præſignauit Deus, quando primum noſtrum parentum creauit myſtica quadam actione bonitatis digna infinitæ, in qua non parum dignitas reuelatur humana. *Gen. 2. Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Aperuit os ſuum Deus, & diuino halitu illius faciem inſufflauit Adami, eíque vitæ ſpiritum infudit. Plena eſt hæc actio myſteriis. Cur Deus halitu oris ſui faciem inſufflauit Adami? Ratio proculdubio

proculdubio fuit, quia in facie hominis omnes humani ſenſus ſunt, voluítque Deus omnes illos purificare, ſanctificaréque. Voluit hominem caſtos, modeſtóſque habere oculos, aures vanitati clauſas, & diuinæ exequendæ voluntati apertas, olfactum eius liliorum puritatis, & caſtitatis bono odore recreari; guſtum eius abſtinentia temperatum, & ad prohibitas delitias refrænatum; Factum denique Diuini halitus contactu brutalis appetitus ſenſuales motus cohiberi. Excurſus eſt iſte Mediolanenſis Archiepiſcopi dignus *Lib. ep.*41. hoc exponens myſterium, eandem attigit cauſam. [Hinc intelligo, inquit Ambroſius, qua cauſa Dominus Deus inſufflauit in faciem hominis: ibi enim ſenſus omnes, ibi ſedes, atque illecebræ delectationes, in oculis, auribus, naribus, atque in ore vt ſenſus noſtros aduerſus delectationes fortiores faceret.] Hæc Sanctus Doctor.

Cum igitur diuini oris ſolus halitus, puritatem in ſenſus infundat humanos, qui animæ ianuæ ſunt; quæ immundis objectis clauſæ caſtum corpus, & mundam animam ſeruant: Quas pluſquàm Angelicæ puritatis producet effectus? non iam ſolus Diuini halitus oris; ſed totus Deus, qui in accidentibus panis abſconditus ipſum communicantis pectus ingreditur, illi corpus ſuum, & animam, diuinitatem, omnéſque ſuos theſauros communicans, omnéſque virtutes? Ita quidem ſæpè videmus eos, qui menſam hanc cœleſtem debita diſpoſitione frequentant, & hoc Diuini amoris conuiuio fruuntur, in oculis modeſtiam, in auribus circunſpectionem, in cibo temperantiam, in verbis moderationem, in omnibúſque ſuis actionibus rectitudinem obſeruare, & hac

tempore, quia multis erat virtutibus prædita, & Dei timore. Verum, cùm maritus, quia aſperis verbis, qua minis eam affligeret, & torqueret, quia iuſſis eius obtemperare nolebat, confeſſarium ſuum, vt ſibi conſilium daret, & remedium fœmina Catholica adijt. Confeſſarius, vt piè credi poteſt, à Deo inſpiratus eam admonuit, vt prius ſe Confeſſione, & ſacra ſynaxi muniret, & hac Diuina theriaca contra hæreſes præparata venenum, marito ſuo obediret, & Caluiniſtam concionatorem audiret. Confeſſarij obſecuta conſilio, & Diuinis Sacramentorum armis ſuffulta adiuit hæretici auditura concionem. Iam in ſuggeſto erat hæreticus faciens concionem, cùm Catholica mulier peruenit, & mox, ac illa peruenit, res quidem mirabilis, obmutuit concionator hæreticus, & amiſſa loquella proſequi non valuit concionem. Et poſtquam per multum temporis ſpatium ſuſpenſus nihil loquens remanſerat, dixit. Hîc proculdubio aliquis adeſt, qui panem à Papiſtis benedictum manducauit. Ipſe enim diuini huius panis virtutem cognouit, & ſe concionem proſequi non poſſe confeſſus è ſuggeſto deſcendit. Maritus, qui etiam concioni aderat prodigium admirans in domum ſuam redijt, & ab vxore quæſiuit, vtrum manè illo communionem Catholicorum recepiſſet, ſe recepiſſe faſſa eſt. Hæc audiens maritus pyram magnam accendi iuſſit, vxor mariti intentionem ignorans, ne in damnum ſuum incenderetur, pertimuit. Cæterum ille cubile ſecretum ingreſſus libros, & codices Caluiniſtæ ſectæ collegit, & igne dignos tradidit igni, & illis in cinerem conuerſis; ille ſe ad Catholicam fidem conuertit, hoc perſuaſus mirando, ſectas omnes præter legem Chriſti, &

Romanæ Eccleſiæ doctrinam, falſas, & mendaces eſſe, ibique ſolum panem non eſſe mendacij, vbi panis eſt verum corpus Chriſti ita mirabili virtute præditum.

Per vxorem Catholicam maritus hæreticus conuertitur, & quando Caluiniſta concionator obmutuit, locutus eſt Deus ad cor hæretici auditoris, & Caluiniſta concionator damnum, quod loquendo fecit, obmuteſcendo refecit.

FRVCTVS IV.

DIVINVM HOC CONVIVIVM Dæmones retrahit, & Angelos attrahit.

REceſſit Chriſtus Dominus in hortum Getſemani lugubri illa Paſſionis ſuæ nocte, vt ſecundus Adamus cœleſtis, quod terrenus amiſerat, recuperaret. Si verò in hortu illo lignum fuit vitæ; in hoc nec defuit. Hæc enim vitæ arbor eſt Chriſtus, & vnus ex fructibus eius Dæmones retrahere, & Angelos attrahere. Vnus ex Primoribus cœli eum in terram conſolaturus aduenit, non quia Rex, & beatitudo Angelorum, Angeli conſolatione indigeret; ſed, vt nos doceret in afflictionibus, & tribulationibus noſtris ad hos ſupernos ſpiritus accurrere, eorúmque patrocinium implorare. Cum igitur Filius Dei ad ſuum preces funderet æternum Patrem, inimici eius, vt eum apprehenderent ferro, & furore peruenerunt armati. Non aufugit, non ſe abſcondit Chriſtus, imò eis obuiam exiuit in animi fortitudine propter

pter amorem hominis patiendi voluntatem oſtendens, & quod non inuitus; ſed ſponte ſe Paſſioni ſuæ doloribus obiiciebat. Itáque interrogauit eos dicens. *Quem quæritis?* Reſponderunt illi IESVM Nazarenum. Reſpondítque Dominus: *Ego ſum.* Et ita potens hoc verbum fuit, vt omnes corruere fecerit in terram. Hic idem Dominus cœli, & terræ, qui vnico verbo omnes inimicos ſuos deturbauit in terram, hoc facit hominibus, Diuini conuiuium amoris. Et quia infinita potentia pollet, generis humani inimici, ad hanc formidant accedere menſam, eóſque timent, quos ſedentes vident in ea. Et ſola verba illa, quibus conficitur hoc ſacramentum ſunt aduerſus illos, quaſi tormenta bellica, quæ eos tremere, & fugere cogant. Idem Dominus S. Brigittæ hoc reuelauit ſecretum his verbis: [Sicut ex vno verbo, quod dixi ego ſum, corruerunt hoſtes mei corporaliter in terram; ſic dicto verbo meo videlicet hoc eſt corpus meum, fugiunt Dæmones à tentando animas offerentium, nec auderent redire ad eos cum tanta audacia, ſi effectus peccandi non ſequerentur.] Hæc Sancta vidua. Quæ ergo res amari, & omnibus noſtris viribus procurari dignior, quam ita fortis, ac potens gladius, vt tam fortes, ac potentes hoſtes, qui nos ſuis impugnationibus, & inſultibus, in diſcrimen animæ vitam, cœlum, & ipſum cœli Dominum amittendi adducunt, tremere, ac fugere faciat. Quis igitur incuriam multorum hominum, qui tam facilè renuentes remedium, ruinam ſuam amant, non admiretur. Quis ſe amanti Redemptori ſuo immenſas gratias non agit pro ita ſingulari beneficio, pro hoc ſcilicet Diuino gladio, quo à tam diris, & horribilibus hoſtibus liberamur? Cùm-

Digitized by Google

que quodlibet beneficium exigat ſtipendium amoris, quis inſignem hunc benefactorem non amet toto corde, & totis viribus ſuis.

Magni faciendum eſt hoc beneficium; ſed pluris ſummus amor, quo nobis illud hic amabiliſſimus Dominus nobis amari indignis confert. Poſtquam Redemptor noſter Chriſtus hoc ſacramentum inſtituerat, ſuóſque dilectos diſcipulos in hoc Diuini amoris conuiuio, hoc Angelorum pane, hoc manna cœleſti cibauerat, quoniam generis inimicus humani ruinam, quam ſuperbiæ vitium in ſe fecerat expertus fuerat, ex pulcherrimo enim angelo in horribilem conuerſus fuit Dæmonem, propterea, hoc tormento bellico voluit deijcere Apoſtolos eos tentando. Et inter ſe cœperunt contendere, quis eorum non eſſet, ſed videretur eſſe maior, quia honores mundi non veri, ſed apparentes ſunt. Increpauit eos blande Chriſtus, & verum iter ad veros conſequendos honores docuit eos, humilitatem ſcilicet, dixítque eis. *Luc.22. Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic; ſed qui maior eſt inter vos fiat, ſicut minor; & qui praceſſor eſt, ſicut miniſtrator.* Nam *quis maior eſt qui recumbit, an qui miniſtrat, nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrum ſum ſicut qui miniſtrat. Vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis.* Super menſam meam in regno meo. Quod regnum Chriſti eſt illud niſi Eccleſia? Qui cibus, & potus eſt iſte, ita pretioſus, vt omnibus mundi regnis præferatur? Nullus quidem alius, niſi qui in hoc Diuini amoris conuiuio confertur, in

quo,

quo, vt aſſeruit ipſe Chriſtus. Caro eius verè eſt cibus, & ſanguis eius verè eſt potus. Cur igitur ſtatim, ac Diabolus Apoſtolos in ſuperbiæ præcipitium conatus eſt deturbare eis Chriſtus Dominus conuiuium corporis, & ſanguinis ſui, quod modo eis fecerat in memoriam reuocauit? Proculdubio, docere illos voluit, quibus armis Dæmones vincere, & fugare valerent. Deceptor Spiritus eos deijcere, cribrare, & perdere niſus fuerat, vt Chriſtus Dominus Petro dixerat. *Satanas expetiuit vos, vt cribraret, ſicut triticum.* Idcirco corporis, & ſanguinis ſui ſacramento mirabili, tanquam forti armatura præmuniuit eos. Quoniam illos diligebat, ruinam eorum procurauit auertere, medicinam, qua curarentur, & gladium, quo protegerentur, prouidit. Solita eloquentia, & Spiritu huic menti fauet Bernardus. [Cæterum, ait, ante Paſſionem affectuoſus Dominus refectionem ſuis curauit exhibere domeſticis, & in hoc quóque apparuit benignitas Saluatoris. Cum dilexiſſet ſuos in finem dilexit eos, & dicebat, Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar: oportebat enim. Expetierat eos Satanas, vt cribaret, ſicut triticum, opus erat præuenire refectionem.] Hæc Bernardus. Quam prouidus amore, & quanta dilectos prouidentia à periculis auertere ſatagit, ne victi diſcipuli à via virtutis deficerent Sapientiſſimus Magiſter eos corpore, & ſanguine refecit ſuo? Quæ igitur alia poteſt eſſe refectio tantæ virtutis, vt ea præmuniti Apoſtoli Cacodæmones vincant, & fugent, niſi panis fortium, quem paulo antè ab ipſius Domini manibus receperant, & manducauerant, in hoc DIUINI amoris conuiuio ita confortati, & roborati ſunt, vt omnes te-

Digitized by Google

nebrarum poteſtates eis non valuerint nocere. Itáque Petro Chriſtus Dominus dixit. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, nec poſtea in puſillanimitatis vitium corruiſſent, ſi huius ſacramenti virtute ſe protexiſſent, pro ſe quippè angelos in auxilium haberent, nec Dæmones eos tentare auderent, fugiunt enim, vel panis huius odorem. Et, vt os aureum Chryſoſtomi loquitur. [Hîc myſticus ſanguis Dæmones quidem expellit, & procul eſſe facit, ad nos autem angelos vocat, & Angelorum Dominum. Vbi námque Dominicum viderint ſanguinem, Dæmones quidem fugiunt, concurrunt autem Angeli.] Hæc os aureum. Quæ igitur poteſt felicitas maior optari? Quod maioris pretij bonum? Quæ ſors felicior, Quæ felicitas beatior? quam ad menſam ſedere, & perfrui conuiuio, in quo Angeli ſedentes protegunt, & Dæmones appropinquare formidant? Nónne beneficium hoc æſtimari debet? nonne fauor hic gratitudine eſt dignus? nonne magni eſt pignus amoris? Quo illud poterimus rependere? quibus obſequiis perſoluere, niſi ſic nos amantem Deum ex toto corde, & totis viribus amemus.

FRVCTVS V.

NON EST SOLVM CIBVS SVAVIS, ſed medicina ſalutaris.

ÆGrotauit ad mortem Ezechias Rex; non enim Reges reueretur mors, nec potentia Regis eximitur à mortis rege. Inuiſit eum S. Iſaias

ias Propheta, & ex iuſſu Dei dixit ei. *Diſpone domus tuæ cras enim morieris.* Infelix nuntium Regis felicitati, infelix nuntium, vel Regi Sancto, quantò magis peccatori, quàm amara, quàm formidabilis. Audito doloris digno nuntio, doluit Rex, vt homo, & ad orationem accurrit, vt Sanctus. Orauit, & plorauit; ſuntque apud Deum ita potentes lachrymæ, vt cœlum, & Dei præcordia penetrauerint, & vitam, & ſalutem impetrauerint. Atque idem Propheta, qui Regi mortis ſententiam notam fecerat, antequam à Regis palatio exiret nouo Dei iuſſu rediuit, & ægroto Regi dixit orationem eius à Deo exauditam fuiſſe, & prima lachryma effuſa (quæ ſi ex vera cordis contritione procedat, vna ſufficit ad innumera delenda peccata, & ideo dixit vidi lachrymam tuam) & à Deo quindecim annos vitæ, & plus, quam petiuit, contra inimicos victoriam, multáque alia dona conceſſa fuiſſe. Diuinus quippè mos eſt petitionem; & vel deſideria ſuis ſuperare muneribus. Redijt Propheta, & Regi bonum nuntium reddidit, & ficorum poſtulant maſſam ſuper Regis impoſuit vlcus, & perfectè ſanatus eſt. Fas nobis eſſet dicere cum opinione multorum, qui fructum ficulneæ, in quo noſtri primi peccauerunt parentes fuiſſe affirmant, voluiſſe Deum, vt vnde morbus exijt, medicina exiret, & in vlcere præfigurari peccatum, & in hoc medicamento remedium, & benedictæ arboris fructum vetitæ arboris theriacam eſſe; Cæterum aptiùs ad mentem noſtram dixit B. Albertus Magnus hunc locum exponens. [Iſaias iuſſit afferri maſſam ficorum, quam, cùm poſuiſſet ſuper vlcus Regis curatus eſt. Vlcus Regis concupiſcentia eſt carnalis, maſſa ficorum corpus Chriſti continens

Digitized by Google

dulcedinem multorum bonorum ad medicinam malorum deſideriorum.]

Animæ morbos præcipuè curat Chriſtus Dominus in hoc ſacramento mirabili cibo, & fructu diuino non minus ſuaui, quàm ſalutari, ne homo, ſi à morbis ſuis, vitiis ſcilicet, & paſſionibus animæ non ſanetur, excuſationem habeat, cùm fructus iſte ventris generoſi dulcedine inuitet, & efficacia ſanet. Quis igitur ita vecors erit, ita boni ſui oblitus, & improuidus mali, vt à vitiorum mortiferis morbis renuat ſanari, cùm tanta facilitate, immò, & felicitate poſſit? Quis conuiuium non admittat, in quo cibus vita eſt, & ſalus.

Magnam Diuini huius medicamenti efficaciam nobis præſignauit Chriſtus Dominus Matth. c. 9. Cùm concionem ad populum faceret acceſſit ad eum vnus ex Synagogæ Principibus, & dixit ei. Domine filia mea defuncta eſt; ſed veni, impone manum tuam, ſuper eam, & viuet: & ſurgens Iesvs ſequebatur eum, & diſcipuli eius. Et ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, duodecim annis acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius, dicebat enim intra ſe, ſi tetigero tantum veſtimentum eius ſalua ero. Magna prudentia eſt ad corporis, & animæ ſalutem conſequendam opportuna occaſione potiri. Retrò acceſſit faciem Domini non auſa reſpicere: ſed humilitate benè diſpoſita, vt Chriſtus cum ea miſericordiam faceret. Optima diſpoſitio, vt quis diuinæ largitatis habeatur dignus ſe exiſtimare indignum. In corde magna fide dicebat. Si tetigero tantum veſtimentum eius ſalua ero. Humilitate diſpoſita fuit ad fidem, & fides, & humilitas Chriſtum Dominum, vt ei integram ſalutem præſtaret, commo

commouerunt. Hac optima præparatione acceſſit, & tetigit fimbriam veſtimenti Chriſti Domini. At IESVS conuerſus, & videns eam dixit. Confide filia, fides tua te ſaluam fecit, & ſalua facta eſt mulier ex illa hora. Cum fœminis duabus ſolita Chriſtus vſus fuit miſericordia in præſenti Euangelio, alteram à mortuis ſuſcitauit illi manus imponens, manus illas, quæ ex nihilo cœlum, & terram fecerunt, & ex tenebris nihili omnia viſibilia, & inuiſibilia eduxerunt ad lumen eſſendi. Alteram à fluxu ſanguinis, quem duodecim paſſa fuerat annis & hanc non manu tetigit; ipſa verò fuit, quæ veſtimenti illius fimbriam tetigit? In vtraque autem Sanctiſſimi Sacramenti altaris infinita virtus exprimitur, in quo Chriſtus ſe communicantem tangit, & tangitur ab ipſo. Cum ergo ſolus Chriſti contactus mortuis vitam reddat, & quod plus eſt, non iam Chriſti manus; ſed fimbria veſtimenti eius ab altera muliere contacta ſolum perfectam ei ſanitatem conferat: Quantò magis huius erit conſors virtutis in hoc Diuini amoris conuiuio, qui non tantum Chriſti veſtimentum, non ſolum manum; ſed totum Chriſtum, totum corpus, & ſanguinem, totam animam, totámque recipit diuinitatem eius. Hoc eodem argumento vſus eſt D. Chryſoſtomus dicens. [Tangamus etiam nos fimbriam veſtimenti eius, vel potiùs, ſi volumus ipſum totum habemus. Nam ſi qui fimbriam veſtimenti eius tunc tetigerunt, rectè omnes conualuerunt, quantò magis corroborabimur, ſi totum in nobis habebimus.] Hæc Sanctus Doctor. Accedamus ergo cum humilitate, accedamus cum fide, vt hoc fauore fruamur, vt ad hanc regiam menſam ſedeamus, vt hoc Diuino cibo veſcamur, dulcedinem

Digitized by Google

eius guſtemus, efficaciam Diuinæ virtutis experiamur, quia in ipſo eſt dulcedo, eſt vita, eſt ſalus. Curemus in hoc conuiuio Diuini amoris adeſſe ad quod ipſe Filius Dei nos inuitat, & quoniam amore nos inuitat cum amore accedamus.

FRVCTVS VI.

NON SOLVM EST MEDICINA, quæ animas ſanat; ſed etiam theſaurus, qui ditat eas.

THeſaurus inuiſus, quæ vtilitas in eo, ait Sapiens *cap.* 20. Cuſtodiuit Deus in Chriſto omnes infinitos theſauros ſuos, in quo ſunt theſauri Sapientiæ, & ſcientiæ Dei. Abſcondit eos in Chriſto, vt cura illos quærendi meritum ſit inueniendi, & inuentis fruendi. Idcircò Chriſtus Dominus regnum ſuum ſimile eſſe dixit theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa, quæ habet, & emit agrum illum. Qui theſaurus eſt iſte, & in quo inuentum fuit agro? Audiamus D. Hieronymum. [Theſaurus Deus Verbum eſt, qui in carne Chriſti videtur abſconditus. Theſaurus enim diuitiæ ſunt, non quæcunque; ſed aceruus quidam multarum rerum magni pretij, veluti argenti, auri, pretioſorum lapidum, & monilium magnæ æſtimationis.] Sunt in Chriſto Domino purum virginitatis argentum, optimum charitatis aurum, & reliqui pretioſi lapides virtutum omnium theandricarum,

&

& totus hic infinitus theſaurus abſconditus eſt in florenti agro humanitatis eius. Fides inuenit, & effodit illum, &, vt homines hoc poſſent inæſtimabili potiri theſauro, Diuinus amor miram eos artem edocuit. Apud hiſtoriæ naturalis habetur fide dignos authores in monte Theſauro ſpeluncam eſſe in cuius centro quam plures gignuntur Hyacinti pretioſi lapides, qui cœli æmulantur colorem, cúmque ita ſit ſpelunca profunda, vt nemo poſſit ad illius deſcendere centrum ſine magno diſcrimine vitæ; & omnia ingenio cedant humano hanc ſingularem induſtriam inuenit. Intus proijciunt agnum occiſum cuius carnibus Hyacinti adhærent. Procreantur in monte illo pulcherrimæ aquilæ albi colores, quæ agni occiſi odore attractæ ad ſpeluncæ profundiorem partem deſcendunt, & in vnguibus extrahunt illum, illíque adhærentes Hyacintos, & ingenioſæ artis inuentor inuentionis ſuæ præmio potitur, & pretioſos lapides colligit. Quæ eſt ſpelunca iſta, ad quam mens peruenire non poteſt humana? Hæc eſt fides Diuina, & præſertim fides huius myſterij ſacramenti abſconditi corporis, & ſanguinis Chriſti, quod antonomaſticè myſterium fidei vocatur. Qui Hyacinti, qui pretioſi lapides ſunt iſti in hac ſpelunca abſconditi, niſi illi, quibus dilecta Chriſti ſponſa plenas eſſe Chriſti manus affirmat. *Manus eius, tornatiles, aureæ plenæ Hyacintis*? Qui agnus viſus eſt iſte? niſi ille, de quo dixit Ioannes Ap. Agnus occiſus ab origine mundi; cæterum iam gloriam reſurrectionis indutus, ſempérque pretioſorum lapidum locuples, Diuino theſauro Hyacintis ſcilicet cœleſtis coloris, bonorum videlicet, & donorum cœleſtium, quæ elargiatur hominibus. Quæ verò pul-

cherrimæ,

Digitized by Google

cherrimæ, albíque coloris ſunt aquilæ iſtæ? Iſtæ ſunt ſerui Chriſti fideles, qui gratiæ candore, & virtutum decore, ad hoc Diuini amoris conuiuium, vt theſauris, quos illis Diuinus hic agnus largitur, perfruantur, accedunt.

Non valuit artem ita mirabilem mens reperire humana, edocuit eam Diuina, quæ homines voluit cœleſtibus ditare diuitiis, eíſque fides in florenti Chriſti humanitatis agro infinitum theſaurum palam fecit. Hac eſt illa totius naturæ creatæ flos, in quo Deus coaceruauit optimum terræ, & optimum cœli. Quis igitur plenus gaudio, lætitia plenus, cum Deus illi ita felicem, ita beatam ſortem offert, omnia bona non vendat, quæ habet in terra, vt eis fruatur, quæ cuſtodiantur in cœlo? Quis ob ſtultam negligentiam tanti lucri vult occaſionem prætermittere, & tot diuitias amittere? Quis ad edendum inuitatus agnum pretioſis HYACINTIS, donis ſcilicet cœleſtibus omnia non deſpiciat terrena? Magna quidem amentia pauperem manere, & infelicem, qui facilè poſſet tot diuitias, tantámque felicitatem comparare,

Singularem aliam veritatis huius confirmationem in litteris ſacris habemus. Sapientiſſimus, potentiſſimus, & ditiſſimus Regum omnium Salomon, ſi verò animæ non comparauit ſalutem miſerrimus, ſtultiſſimus, & pauperrimus omnium, pro annuis redditibus centum millionum ducatorum habuit, templum, quod in Dei ædificauit honorem, omnium, quæ in vniuerſo ædificata ſunt orbe ſumptuoſiſſimum, ditiſſimum, & pulcherrimum fuit, & prætermiſſis atriis quàm plurimis, & multis aliis rebus admiratione dignis, totius ædificij columnæ erant mille, & quadrin-

gentæ,

gentæ, & quinquaginta tres. Minores habebant quadraginta, & duos pedes altitudinis. Quæ domus Dei vocabatur Eccleſiæ inſtar erat teſtudinis vnius ſine ſacellis, longitudo eius centum, & ſeptuaginta pedes, & latitudo quinquaginta ſex habebat ſacellum quadratum quinquaginta ſex pedibus conſtans, quod Sancta ſanctorum vocabatur. Hîc totus fornix ianuam in medio habebat totam argenteam ſuper cardinibus aureis. Peſſulæ, repagula, & ſeræ, catenulæ, retiacula, & claui omnes ex puriſſimo auro. In claues ſolùm decem, & octo millia, & ſexcenta, & quinquaginta ſex expenſa ſunt ſcuta, Ante ianuam iſtam duæ erectæ erant miræ pulchritudinis, & artificij columnæ Quæ in dextera erat nomen habebat Ioachim, & quæ in ſiniſtra Booz, ahenæ erant, & cauæ, & groſſitudo earum duorum digitorum, & vnius digiti aurei baſis erat ſolida vnaquæque decem, & ſeptem pedes cum dimidio in circuitu habebat, ex diametro quinque pedes cum dimidio, altitudinis ſimul cum baſi, & capitello quinquaginta, & ſex pedes, de alquitraue, friſo y cornija is Hiſpanè vocatur. Quatuordecim, & omnes ſunt ſeptuaginta. Et aurum, quod in vtráque columna erat pendebat nonaginta quínque milliones auri. Ahenum ſeptuaginta, & vnum mille trecentas, & triginta quinque amphoras.

Totum ſanctuarium ſeu domus Dei, tam parietes, quam tectum, tectum erat laminis aureis, quæ affixæ clauis aureis erant, & ſinguli claui viginti quinque vncias pendebant mira arte elaboratis capitibus, incluſæque erant in eis gemmæ pretioſiſſimæ, quæ cœli ſtellarum inſtar ſplendebant, & colorum varietate, proportione, & ſplendore maieſtatem, & gloriam templi mirificè

ficè augebant. Feneſtrarum omnium cancelli, vt Ioſephus aſſerit, aurei erant. Qui templo ædificando operam dabant.411900. operarij erant. Septem annis cum dimidio fabrefactum eſt. Hæc, & plura alia ſedula cura, & ſtudio doctiſſimi PP. Villalpandus, & Prado in tomis tribus, quæ de rebus Salomonis typis mandarunt, conſcripſerunt. Et hæc omnia fide digna videbuntur ei, qui legerit *c.10. lib.3. Regum.* Vbi ſacra textus hæc habet. *Vt tanta eſſet abumdantia argenti in Ieruſalem, quanta, & lapidum.*

Salomon Rex pacificus Chriſti vmbra fuit, qui Princeps eſt pacis: & incomparabiles, quas poſſedit diuitiæ, immenſas, & ſpirituales virtutum diuitias, quæ in vero Salomone Chriſto infinita excellentia ſplenduerunt, præfigurarunt. Nam, vt ipſe Chriſtus de ſe loquens dixit: Ecce plus, quam Salomon hic. Verùm non in terrenis diuitiis; ſed cœleſtibus; non in theſauris temporalibus; ſed æternis. Cum igitur qui ad Chriſti menſam ſedet, qui hoc fruitur Diuini amoris conuiuio, qui in pectore ſuo Chriſtum recipit domus, & templum fiat Dei, & illud cum omnibus ſuis diuitiis, & theſauris ipſe Dei Filius ingrediatur, quàm exornatum, quàm locupletatum, quàm ſpecioſum, quàm ſplendens manebit? Fulgebunt in illius anima inter aurum charitatis, & argentum caſtitatis pretioſi lapides omnium virtutum, erit velut cœlum ſtellatum, Angelis pulchrum, Deóque gratum. O homines fallaces diuitias amantes, quarè veras, & ſolidas deſpicitis, vt quid fatigamini theſaurizantes in terris, & theſaurizare negligitis in cœlis? Quarè aurum tanta auiditate concupiſcitis, quòd poteſt latro furari, & tutos theſauros, quos Deus ipſe tanta liberalitate

liberalitate offert, contemnitis? Quid magis admirer ignoro vel liberalitatem Diuinam, an amentiam humanam, quæ Dei diuitias contemnit.

LECTORI REQVIES, & muſica conuiuij.

MIRANDA IVDÆI CONVERSIO ſanctiſſimi huius ſacramenti virtute.

HEbræus iuuenis, vt refert V. Beda, cum in generali communione, quam S. Bonifacius Pontifex populo fecit ſacram Euchariſtiam recepiſſet clamauit dicens. Bonifaci curre & cum feſtinatione me baptiza; panis quippè, quem ſumpſi me vrit, & conſumit. Cúmque hoc Hebræi audirent ita commoti, & irati ſunt, vt Hebræi iuuenis pater illum in domum ſuam reducens in ardentem fornacem immiſerit; mater verò eius miſericordiæ matris implorauit auxilium, vt filio ſuo in tanto ſubueniret diſcrimine, & perfidi Iudæi, eam etiam in ardentem proiecerunt fornacem. Sanctus verò Pontifex Bonifacius de Iudæorum ſcelere certior factus, ſacris, vt erat indutus ornamentis domum adiuit Iudæi, & filium, & matrem ab incendio illæſos eripuit.

Hebræus iuuenis in pectus ſuum illum recepit, qui ignem venit mittere in terram, & quod vult eſt, vt in hominum cordibus accendatur. Ideò ardere ſe clamat, ideo poſtulat baptiſmi aquam, vrebatur námque igne hoc Diuino. Felix ille, & beatus, qui illo vtitur igne, quo vruntur beati.

FRVCTVS VIII.

Digitized by Google

FRVCTVS VII.

CIBVS, QVI IN HOC CONVIVIO miniſtratur vitæ eſt munimen, & mortis antidotum.

IDem Dominus, qui hominem, vt ad hanc menſam ſedeat, & hoc cœleſti conuiuio perfruatur, inuitat, pretioſi cibi, quem illi miniſtraturus eſt proprietates expoſuit & virtutes, vt conuiuæ pluris faciant acceptum beneficium. Idcirco conuiuas admonet dicens. *Operamini non cibum, qui perit ſed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis, quem Pater ſignauit Deus. Ioann 6.* Ac ſi diceret. Ne fatigemini, ne perituras depereatis, diuitias ſcilicet, delitias & honores, quorum famem patiuntur mortales, & perituri periturum cibum inquirunt, illum ſtudete, comedere panem, qui homines alit in vitam æternam. Hunc panem Virginis Filius dabit vobis, quem Pater Deus diuinitatis ſuæ ſigillo ſignauit. Qui cibus eſt iſte ita Diuinæ virtutis quem nobis qui fons eſt vitæ promittit, vt donet nobis æternam? Audiamus Hilarium exponentem hunc locum, & rationem reddentem, qua nobis Chriſtus perſuadet huic cibo virtutem ineſſe vitam conferendi æternam, ideò enim eum nobis contulit ille, cui æternus Pater totam ſuam Diuinitatem communicauit, & potentiam. [Et hoc, (inquit,) S. Doctor, ideò, vt poteſtas in eo dandæ ad æternitatem eſcæ, intelligi poſſet, quia omnem

omnem in ſe Paternæ formæ plenitudinem ſignantes ſe Dei contineret.] Hæc S. Antiſtes. Cum ergo vitæ amor ita innatus ſit homini, vt propter eam conſeruandam, & augendam ad paucos dies obijcere non renuant æreis acuminibus brachia, cucurbitis dorſum, potionibus amaris palatum, exuſtionibus carnes, & tandem pretio multi ſanguinis emere, peramatam ſalutem Quid ergo te, anima mea, facere oportebit pro comparanda vita non temporali; ſed æterna, non duri æris acumina patiens; ſed paſcens cœleſte non effundens proprium ſanguinem; ſed pretioſum bibens Filij Dei ſuauitate, & dulcedine plenum, non potiones deguſtando amaras; ſed nectareos liquores, non cauteria ignis ardentis, qui exulcerat, & exurit; ſed ignis Diuini amoris, qui demulcet, & alit. O infinita liberalitas Dei, ô hominis indigna ſtultitia, qui ita magnum paruifacit beneficium, & propter ſuam pigritiam ſe tali alimento priuat, à quo vitam conſequi poſſit æternam.

Ita propriùs, ita expertus fructus, & effectus eſt, quod hic cœleſtis cibus munimen ſit vitæ, & mortis antidotum, vt inprimis Eccleſiæ ſæculis vocatum abſolutè fuerit ſacramentum vitæ, qui mos ita excreuit, vt vitæ nomine Euchariſtia ſignificaretur, vt habetur apud Auguſtinum, *lib.* 1. *contra Pelag. c.* 24. cuius hæc ſunt verba. [Optimè Punici Chriſtiani Baptiſmum ipſum nihil aliud, quam ſalutem; & ſacramentum corporis Chriſti nihil aliud, quam vitam vocant.] Eodem vtitur loquendi modo S. Irinæus. *lib.* 4. *aduerſus hæreſes c.* 39. [Chriſtus, (inquit,) recumbentibus miniſtrabat eſcam ſignificans eos, qui in terra recumbebant, quibus venit miniſtrare vita.] S. Cy-

rillus

rillus *Alc. lib.4. in Ioannem.* Chriſti carnem viuificantem appellat; ideſt. Quæ vitam præſtat. [Carnem, (ait,) ſuam viuificantem effecit.] Et D.Ignatius M.Euchariſtiam vocat; Mortis antidotum, & pharmacum immortalitatis. Verum non eſt quomodocúnque vita; ſed vita ſine timore, ſine terrore, ſine dolore, ſine mortis formidine, vita immortalis, vita æterna. Hæc vita noſtra mors potius dicenda eſt, quam vita, quia viuere incipere, mori incipere eſt. [Si ergo vita hæc, in qua, (vt inquit, D.Ioannes Chryſoſtomus) vbi morbi, vbi inſectationes, vbi præmaturæ mortes, vbi calumniæ, vbi inuidiæ, vbi perturbationes, vbi iræ, vbi cupiditates; vbi innumerabiles inſidiæ, vbi quotidianæ ſolitudines, vbi perpetua, ſibíque ſuccedentia mala ſunt, innumeros ex omni parte dolores afferentia.] Hæc Chryſoſtomus. Si ergo, inquam, vita hæc, quæ tot morbis, & mortibus, tot ærumnis, & laboribus, tot calumniis, & inſidiis, expoſita manet: tot plena perturbationibus, iris, paſſionibus, dolis, contentionibus, & præliis, tot fatigata curis, ita, vt mala malis ſuccedant, amatur tamen, deſideratur tamen, procuratur tamen: Quis non amat, non deſiderat, non procurat hoc cœleſte conuiuium, in quo cœleſtis miniſtratur cibus, qui abſolute eſt vita, qui eſt panis viuus, & vitalis, qui fons eſt vitæ, & vitæ immortalis, malis omnibus immunis, & infinitis plenæ bonorum theſauris. O negligentia, ô pigritia hominum inſana, ne manum ad os leuent fame pereunt miſeri! Cúmque paruo labore, parua diligentia poſſent cibo perfrui, qui eſt vera, & beata vita malunt ſe ſepultos eſſe in vmbra mortis.

Cæterum cibus hic non eſt ſolum fortalitium vitæ,

vitæ, & mortis antidotum; verum etiam qui illo dignè veſcitur in libro inſcribitur vitæ, & ius ad æternam comparat. Inter myſticas alias viſiones, quibus Deus Ezechielem *c.* 9. illuſtrauit ſe aſſerit vidiſſe virum veſtitum lineis, & attramentarium ſcriptoris ad renes eius, & qui cum eo erant ingreſſi ſunt, & ſteterunt iuxta altare æreum; & viro huic iuſſit Deus, vt ſignaret Thau electos Dei, quod idem fuit, ac eos in libro inſcribere vitæ. Venerabilis Abbas Rupertus *lib.* 5. hunc locum exponens dixit. [Vir vnus in medio eorum veſtitus lineis, & attramentarium ad renes eius Chriſtus eſt Filius Dei, qui carnis noſtræ veſtitus lineis venit in hunc mundum ad hoc, vt electos ſuos iam dictæ vltioni excipiendos conſcriberet in libro viuentium.] Hæc Rupertus. Cur autem ſteterit iuxta altare attramentarium ſcriptoris habens ad renes? non caret magno myſterio. Hoc fecit reſpondet doctiſſimus Nouarinus, *lib.* 5. *ſacr. elec. n.* 534. vt ſtatim colligeremus per Euchariſtiæ ſacramentum, quod in altari conſecratur in vitæ libro noſtra nomina ſcribi. Et S. Paſchaſius huic aſſentitus menti dixit. [Benè iuxta altare perhibetur, vt milites ad ſtipendia vitæ percipienda accedentes diuinitùs diſcernat.] Hæc Paſchaſius. Cæterum qui ſunt milites iſti iuxta altare à Chriſto electi, vt vitæ ſtipendia recipiant, niſi Chriſti fideles; qui ad conuiuium Diuini accedunt amoris, vt hoc veſcantur cibo, qui ſtipendium eſt vitæ immortalis, & æternæ. Idcircò Chriſtus Dominus altaris menſam ſemper paratam habet, omnes inuitat, nullum excludit. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Ac ſi diceret. Ego pro refectione corpus meum dabo vobis, corpus

meum

næ ſint, qui labores, quæ mala, idem Diuinus Spiritus exponit nobis dicens. *Cogitationes eorum, & timores cordis, ad inuentiones expectationis, & dies finitionis.* Quam magnum veſparum examen, vnaquæque aculeo ſuo, quàm magna cogitationum multitudo, vnaquæque cura ſua pungunt hominum animum. Quot vigiliæ, vt acquirant bona, & præcaueant mala! Quis arithmeticus timores, & tremores, qui cor earum oppugnant ad numerum reducere poſſet, quot expectationes, qua in ſomnio habitæ, qua in imaginatione confictæ dilationibus ſuis illorum torquent animam, quis numerare valeat. Amara verò mortis memoria, quæ nemini parcit, & cuius aduentus horam nemo certò ſcit, quantum affligit mortales. Graue ſaxum illud, ratio ſcilicet vitæ reddenda Deo, ex qua vita, vel mors pendet æterna, quanto, & quàm graui premit pondere miſeros homines. Cœterum à tam intolerabili iugo, numquid erit aliquis qui ſe poſſit eximere? Conſulamus Diuinum oraculum; ipſe nobis reſponſum dat Spiritus Sanctus in eodem loco. *A reſidente* (inquit) *ſuper ſedem glorioſam vſque ad humiliatum in terra*, & cinere, ab eo, qui vtitur Hyacinto, & portat coronam vſque ad eum, qui operitur lino crudo. Nullus à tot patiendis malis eximitur.

Cum ergo ita graue, ita intolerabile ſit hoc iugum numquid infinita Dei pietas hominem, quem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam creauit, ſine leuamine, quo colleuietur, ſine remedio, quo ſuauificetur tot mala patientem relinquet? Quis vertet in dubium? Ille ſolùm qui Dei amantis hominem viſcera ignorauerit miſericordiæ. Quale igitur remedium fuit? Nullum ſuauius, nullum

nullum hoc Diuino ſacramento efficacius. Conſolans, & confortans Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos, vt magnos labores, tribulationes, & perſecutiones, quas paſſuri erant in prædicatione Euangelij æquo, & forti animo gaudentes ſufferrent dixit eis, *Math. c.* 10. Cum perſequentur vos in ciuitate iſta fugite in aliam. *Amen dico vobis non consũmabitis ciuitates Iſraël, donec veniat Filius hominis.* Notatu dignum eſt, quod non dixit eis: Ego vos à laboribus, à tribulationibus, à perſecutionibus eripiam, ſolum eos ſe viſitaturum promittit, vt conſoletur, & confortet eos. Non enim ita magnum beneficium eſt: hominem à tribulatione liberare, ſicut ei gratiam, vt patienter illam ferat conferre, ad quod nihil ita ſuaue, nihil ita efficax, ſicut Chriſti præſentia. Sic hunc locum expoſuit Chryſoſtomus dicens: [Sufficiebat certè ad ſedandos ipſorum labores ſolus aſpectus Chriſti.] Si ergo ſolus aſpectus Chriſti, ad labores, tribulationes, perſecutionéſque ſuaues reddendas ſufficit, quanto magis idemmet Chriſtus non iam ſolo aſpectu, & præſentia; ſed ad menſam ſuam faciens communicantem ſedere, corpus ſuum in cibum, & ſanguinem ſuum in potum miniſtrando, & in pectus eius ingrediendo ita glorioſus, ſicuti eſt in cœlo. Quam fortitudinem, quam fortem animum, quas vires non induet ille, qui hoc pane fortium veſcitur, omni puſillanimitate, omni redicta formidine ad tollendum graue iugum filiorum Adam non ſolum patientia; ſed lætitia, & gaudio. Cùm igitur neceſſarium ſit in hac miſera vita miſerias pati, & in hac lachrymarum valle multa mala eſſe lachrymis digna, cum item malorum, & ærumnarum omnium ita facilis ſit medicina, ita efficax,

Digitized by Google

ita ſuauis, quis illa vti non procurat: Quis ad Diuinum hoc conuiuium venire non feſtinat? Quis hoc cœleſti non veſcitur cibo, cui tanta virtus ineſt ad tot amaritudines ſuauificandas, ad tam grauia onera alleuianda. Ita amabilis eſt indoles Dei, vt ſi noſtro bono conſulens in aliquod malum pœna nos inducit, vel in aliquam tribulationem, & amaritudinem non ſe continere poteſt, quin eam tanta dulcedine repleat, vt ipſa tribulatio dulcis fiat, & huius ſacramenti virtute non jam tribulatio; ſed donum ſit, & beneficium.

Erat arca teſtamenti laminis aureis ornata, ad duo latera duos Cherubinos aureos habebat, & intus vrnam auream, lapideas tabulas, in quibus ſcripta lex erat, virgámque Moyſi. Omnia hæc ſimul iuncta magnam arcæ grauitatem conferre neceſſarium erat. Quomodo autem Sacerdotes, & Leuitæ magna facilitate; ac ſi res ſine pondere eſſet, quocúnque volebant portabant. Vti refert Liranus ſuper *c.* 15. Paralipom. In quo erat hoc myſterium, in quo hoc latebat arcanum. Quid arcam ita leuem faciebat? Nil aliud, niſi manna, quod intra ſe portabat, & Diuini huius vmbra eſt Sacramenti. Cùm igitur vmbra ſola ita mirabilem cauſet effectum, quid ipſa veritas faciet, hoc manna Diuinum, hic cibus cœleſtis: Quod leuamen, quám fortitudinem, quam fortem animum, quas vires non præſtabit illum in pectore habenti, vt non ſolùm cum patientia; verum etiam cum lætitia, & gaudio ærumnoſæ vitæ huius graue iugum portet. Ars quidem digna Diuini ingenij, Dei ſcilicet amantis homines inuenire buccellam, cuius mira virtute labores in requiem, triſtitiæ in gaudia, luctus in riſum, ma-

Digitized by Google

la in bona, pœnæ conuertantur in gloriam.

Erat in horto Gethſemani, qui fons eſt vitæ triſtitias patiens, & mortis angores, guttas ſudando ſanguinis, quas ante quàm rigor effunderet, effundere voluit amor, nec duos oculos ſufficere iudicans ad noſtra deflenda mala, qui fons eſt omnium bonorum omnes corporis ſui poros conuertit in oculos, & pro qua ſanguinem fudit. Tantæ molis fuit Deo amare hominem, qui accepta beneficia neſcit, niſi culpis rependere. Ad leuamen igitur tanti doloris, triſtitiæ tantæ, pœnarúmque grauium, quibus ob noſtra afficiebatur peccata miſit illi æternus Pater angelum de cœlo ad confortandum eum. Quo verò tam magnis eum alleuat pœnis? Calicem oſtendit ei, vt nos doceret nullum aliud efficacius eſſe leuamen, nullóque alio nos in tribulationibus eſſe confortandos, nullo alio melius recreandos, quam huius Diuini Sacramenti calice, in quo ſanguis eſt, corpúſque Chriſti, quod in hoc Diuini amoris conuiuio hominis alimentum eſt. Solus aſpectus calicis Chriſti humanitatem confortauit, vt graue lignum Crucis portaret, omnéſque dolores, & ignominias ſacræ ſuæ Paſſionis ſufferret. Quale igitur leuamen, quam fortitudinem, quam fortem animum condonauit nobis idem pretioſus calix non ſolo aſpectu; ſed in noſtrum ingreſſus animum; & in præcordia noſtra? Quæ beatitudo felicior, quæ felicitas beatior, quàm ad manum habere omnium bonorum theſaurum, omnium malorum remedium? Quis Dei amabilem non admiratur ſapientiam, quæ nobis tam ſuaue, & efficax prouidit remedium, vt ſecuri, & lætantes mortiferæ huius vitæ tempeſtuoſum pelagus nauigare poſſimus? Quis magni non faciet

magnum

magnum hoc beneficium, quis non æſtimet inæſtimabile hoc donum, quis gratias immenſas non reddat pro immenſo fauore, quis totis viribus ſuis ita liberalem non amet benefactorem.

FRVCTVS IX.

FERIVNTVR FOEDERA PACIS inter Deum, & homines in hoc cæleſti conuiuio.

NOn mandat executioni ſupplicium benigniſſimus Deus, niſi quaſi coactus vitiis, & ſceleribus hominum. Ita excreuerat in mundo immundus veneris ignis, vt ſacer dixerit textus: *Omnis quippè caro corruperat viam ſuam.* Qua propter ad extinguendum pernitioſum ignem infinita Dei iuſtitia, quaſi obſtrictam ſe inuenit. Sed quia incendium vniuerſale erat, neceſſarium etiam fuit, quod diluuium, quo extinguendum erat, eſſet vniuerſale, & aqua extingueretur ignis, & iuſtus vindex Deus iuſtam ſumpſit vindictam omnem animam interficiens viuentem præter paucos homines, qui ſalui facti ſunt in arca Ceſſauerunt aquæ diluuij, exiuit Noë cum filiis ſuis ex arca, & gratum Deo obtulit ſacrificium, placuit Deo; & placauit Deum, facilè namque placatur qui amat, apparuit Noë & dixit illi: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram, cúmque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiſcum.* Ponam arcum

meum in nubibus, arcum meum dicit, quoniam hoc, quod eſt pax, amor, benignitas, miſericordia, & dulcedo proprium eſt Dei. & nobilitati ſuæ valdè comforme; punire vero iraſci, ſupplicia infligere, quaſi alienum indicat à ſua bonitate, nec niſi, quaſi coactus à culpis pœnas immittit, & iras exercet. Arcus iſte Iris, qui iras Dei temperat, ſpecioſus arcus, variis exornatus coloribus, & ex nubibus formatus ſpecioſiſſimum eſt ſymbolum Chriſti. Specioſus præ filiis hominum Filius Dei omnium varietate virtutum, & in ſacro Virginis vtero, quaſi in cœleſti nube formatus, & in accidentium nubibus panis, & vini Deo oblatus in ſignum fœderis inter terram, & cœlum arcus Iris eſt, in hoc Diuini amoris conuiuio. Scitè quidem dixit Berchorius *lib.* 6, *c.* 20. [Iris eſt Chriſtus, qui in aëre cordis non apparet, niſi in die charitatis, quia in nocte culpæ vix cognoſcitur, vel videtur.] Notabilem Iridis proprietatem attingit. Numquam Iris nocte apparet, non niſi in die videtur. Gratiæ lumine exornata debet eſſe anima, vt in ea Diuinus hic Iridis arcus appareat, abſit nox peccati mortalis. Verùm in anima, in qua lætus dies ſplendet gratiæ, ibi Diuinus amor hoc cœleſti arcu ictus ſuos emittit, ibi ſuas amabiles dulceſque ſagittas iacit, & figit, ſapidiora, & fœliciora vita, & ſalute vulnera infligens. Pacem ſtatuit Chriſtus, vt Diuinus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, panem, & vinum offerens, ſicut pacis arcus inter accidentia, quibus formatur Iris. Sicut enim Melchiſedech Sacerdos altiſſimi fœdera conſtituit pacis inter Chananæos, & Hebræos offerens panem, & vinum: Ita etiam, vt ait Genebrardus. *Pſal.* 109. Iuxta hunc ritum Chriſtus Pontifex

Digitized by Google

aſſiduè pro nobis, & Iudæis & gentibus collectis, apud Patrem in cœlis interpellat, ſe ſub panis, & vini ſpeciebus incruenti Deo offert, & fidelibus diſtribuit in terris benedictionem vtrique populo, affert gratiam videlicet Dei & remiſſionem peccatorum.

Hoc nihil aliud eſt, quàm arcum eſſe Chriſtum in hoc ſacramento mirabili; ſe enim Æterno Patri offerens, vt cœleſtis Iris pacem ſtatuit inter cœlum, & terram, inter Deum, & homines. Cum igitur nos Deus ad pacem inuitat, & belli arcum, quo nos minitabatur, & ſuppliciorum, & pœnarum ſagittas, quibus mundum volebat euertere, in pacis arcum conuertit, amoris, ſuauitatis, ac dulcedinis. Et, cum pluit cœlum apparente hoc arcu, non, vt olim iras, & pœnas; ſed bona, dona, & beneficia, quis hoc bonum, hoc donum, hoc magnum non magnifacit beneficium, & hunc ſummum amorem? Quis animum inſtar lucentis diei non conatur habere luce gratiæ fulgentem tenebris vitiorum fugatis, vt ſpecioſus hic arcus in medio cordis noſtri cor noſtrum illuſtrans appareat. O Deus homines amans, ô arcus, pectora noſtra ſagittis vulnera Diuini amoris, vulnera quippè tua dulciora ſunt, fœliciora ſunt feliciore ſalute ſaucia corda noſtra, vulnere amoris nos inuitans ad conuiuium amoris.

In triplici Iridis colore, vt non pauci ſentiunt ſacri textus interpretes, triplex agri fructuum ſignificatur perceptio; panis videlicet, vini, atque olei, & colores ipſi id ipſum inſinuare videantur, pallidus color triticum, rubeus vinum, viridis oleum. Et triplex hæc fructuum collectio miro modo in hoc reperitur ſacramento, vt docet Propheta Rex *in Pſal. 4.* dicens: *A fructu frumenti,*

vini, & olei multiplicati ſunt. Circa panem, & vinum non poteſt dubium eſſe cum ſint huius ſacramenti materia; in oleo autem ipſi figuratur Chriſtus ſecundum illud. *Oleum effuſum nomen tuum.* Et à D. Iacobo in ſua lyturgia *oleum pacis vocatur.* Quod noſtræ conſonat menti, cum dixerimus eſſe pacis Iridem; Oleum etiam ex olea naſcitur, & hæc pacis eſt ſignum. Olea, inquam, ſilueſter oleaſter inſertus fuit, vt inquit Paulus, Chriſtus eſt, & oleum eius mirabile ſacramentum hoc, in quo Diuini ardet ignis amoris, qui inter Deum, & homines ſtatuit fœdera pacis. Viridis oleæ, & olei color ſmaragdi colori per ſimilis eſt, & Iridi Smaragdi color. Ioannes Euangeliſta *in Apocalypſi* 4. dicit. Statim fui in Spiritu, & ecce ſedes poſita erat in cœlo, & ſupra ſedem ſedens. Et qui ſedebat ſimilis erat aſpectu lapidis, Iaſpidis, & Sardinis, & iris erat in circuitu ſedis ſimilis *viſioni Smaragdinæ.* Quis verò eſſet, qui ſedebat in throno ſimilis aſpectu lapidis Iaſpidis, & Sardinis Sacri declarant interpretes, & eſſe dicunt Chriſtum Dominum, qui varietate virtutum ornatus eſt, ſicut Iaſpis, & Sardis varietate colorum. Et in arcu coloris Smaragdini, qui inter omnes colores, vt aſſerit D. Iſidorus gratior, & lætior eſt oculis, quid aliud poteſt conuenientius deſignari, quam hoc Diuinum ſacramentum, quod inter omnia ſacrificia gratiſſimum eſt Deo, & idcirco, quod maiorem efficaciam habet, vt iras eius temperet, eumque quaſi obſtringat ad ineunda cum hominibus fœdera amicitiæ, & pacis [Smaragdus (verba ſunt D. Iſidori) omnes herbas, & frondes viriditate ſuperat, nulla gemma gratior oculis, cuius corpus extenſum, ſicut ſpeculum imagines reddit.]

Hæc

Hæc Iſidorus. Hoc diuinum ſacramentum inter reliqua ſacramenta gratiſſimum eſt Deo, nullum ei ita placet, nullum eum ita placat, & ſe ipſum aſpiciens in eo lætior, ac gratior homines reſpicit, & minùs horret ſcelera eorum. De Auguſto Cæſare Imperatore refertur Smaragdinum ſpeculum habuiſſe, per quod gladiatorum ludos cernebat, vt interfectiones illorum ſine horrore poſſet intueri. Aſpicit Æternus Pater in hoc Smaragdino ſpeculo, in hac cœleſti Iride, quæ pacem annunciat, peccata hominum, & miteſcit, & conſueta cum eis miſericordia vtitur, milleque eis beneficia confert, & fauores ſibi eos reconcilians, & in ſuam recipiens amicitiam, & gratiam. Has omnes cœleſtium fructuum receptiones ſecum affert hic arcus cœleſtis, hæc Iris diuina, hæc omnia bona confert generi humano. Quid ergo ſupereſt anima mea, niſi, vt Diuini ſpiritus conſilio obtemperes. *Eccle. 43. Vide arcum, & benedic Deum, qui fecit illum, valdè ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo, gyrauit cœlum in circuitu gloria ſua, manus excelſi aperuerunt illum.* O arcus Diuine Chriſte in nube Euchariſtiæ latens, magna eſt pulchritudo, magnus ſplendor, quo inter accidentium nubes coruſcas, & quo oculos te fide intuentium lætificas, & corda confortas. Viridi ſpei cœleſtis colore, nos ne deficiamus corroboras, ne periclitemur confortas, & quia circumdatus es gloria gloriæ pignora donas. Tu Diuina Iris iras Dei temperas, & auertis ſupplicia. Altiſſimi manus tetenderunt, & parauerunt te arcus cœleſtis, vt ſagittis amoris Diuini pectora vulneres, & ſubijcias humana, & inter Deum, & homines ſtabilias fœdera pacis; Verùm cum tot pluas dona, beneficia, & fauores, hunc nobis

concede, vt cum Deo, cum proximis, nobiſcúmque pacem habeamus. Cum Deo eius præcepta ſeruando, nobiſcum noſtras ſubijciendo paſſiones, cum proximis mala nobis illata dimittendo, & multa eis pro amore tuo bona conferendo.

LECTORI REQVIES, & muſica conuiuij.

DE INSVETO EVENTV AD hoc ſpectante myſterium, rectus iudex, vt iuſtitiæ leges ſeruaret filio ſuo non pepercit.

CVm illuſtris quidam Comes, vt habetur apud Fr. Thomam à Cantiprato, & Cæſarium antiquos, & fide dignos authores, duos ægrotaſſet annos, & in lecto decumberet, filius eius ætate, & moribus iuuenis violenter furatus eſt à paupere puella virginitatis theſaurum, & tanto populi ſcandalo hoc ſcelus perpetrauit, vt omnium concitaret clamores, qui ad aures peruenere patris ægroti; Cumque ille ſeruos ſuos, quæ cauſa eſſe tanti rumoris interrogaret, ne eum contriſtarent, declarare renuebant; Verùm, cum ob rem ſibi celatam eos durè increparet, ei cauſam clamoris reuelarunt. Diſſimulauit iram in filium, & gladiolum acutum, quaſi illo ad aliud opus haberet, poſtulauit. Et quaſi ſex tranſactis horis filium ſuum accerſiri iuſſit, quem cum iuxta ſe haberet dixit illi: Neſciebas me Dominum, & iudicem eſſe regionis huius? Quomodo ergo me viuente & illius iuriſdictionem habente auſus es puellam

puellam hanc iniuria afficere in confuſionem, & ignominiam meam. Abſit, vt ego talem poſt me relinquam hæredem, & terræ huic talem Dominum. Hæc dicens ſubitò ſumpſit cultellum, & ſcelerati filij pectus transfodit, qui ſtatim occubuit. Poſt quatuor dies ingraueſcente morbo, cum ſe comes proximum morti videret, Abbatem, Confeſſarium ſuum, & huius faſcinoris conſcium, vt ſe ſacramentorum receptione pararet, accerſiri iuſſit. Omnia ſua ei aperuit peccata; non tamen filij ſui occiſionem. Confeſſarius verò eum interrogauit, cur proprij filij, & ſtatus hæredis interfectionem ſcelus ita enorme in confeſſione non palam feciſſet. Quamobrem dixit ſe ei, nec abſolutionem dare, nec ſacramenta poſſe miniſtrare, niſi graue piaculum confeſſione, & dolore expiaret. Comes verò magna conſtantia reſpondit. Abſit mihi eum, qui nefario auſu iuſtitiam violans mortis condemnatione ſe dignum fecit, principatus mei hæredem facere, licet eum genuerim. Ego quidem non filium; ſed legum tranſgreſſorem, & patriæ violatorem, vt legis, & patriæ iudex interfeci. Verùm tu, qui Abbas es, & Diuini vicarius iudicis me iudicas contra legem, cum in ea Deus in Deuteronomio iubeat, vt contra incorrigibilem, & proteruum filium pater eius primus ſit, qui manum eleuet, vt illum interficiat. Quapropter ad Chriſti ſupremi iudicis tribunal appello, ad cuius conſpectum ſine tua abſolutione, vt filij mei occiſionis rationem reddam adibo ſecurus, quia certus ſum à Dei iudicio me exiturum immunem, rogo te ſolum, vt Sanctiſſimum Chriſti corpus, quod in pyxide attuliſti mihi oſtendas, vt illud reuerear, & adorem. Aperuit Abbas cuſtodiam, ſumpſit Euchariſtiam

in manus, & mox (res magna admiratione digna) ex Abbatis manibus ipſamet Sacra euolans hoſtia intra os ſe contulit Comitis zelum approbans, quo in proprium filium tantum exercuerat iuſtitiæ rigorem. Videbitur fortè alicui dira patris impietas in proprium filium, licet enim graue fuerit ſcelus patratum; non tamen tam rigoroſa animaduerſione dignum. Dare ei ſaltem debuerat ſe ad præparandum morti tempus, ne æternam amitteret vitam. Verùm, cum iuuenis ita incorrigibilis; & proteruus eſſet, vt pater eius nullum ex correctione fructum ſperaret, & magna ſi gubernationis clauum obtineret populo damna timeret, vt Phines alter iuſtitiæ zelo correptus proprio filio non pepercit.

FRVCTVS X.

HOC FIDEI MYSTERIVM IN cœterorum myſteriorum confirmat fide fideles.

INter dona Dei excellentiſſimum donum eſt fides, in eo quippè plus amatum filium, plus dilectum Iſaacum, intellectum ſcilicet, & proprium iudicium homo Deo offert captiuans illud in obſequium fidei. Quia Eua ſerpenti credidit tot in nos mala ſerpunt, & homo Dei filio credens quod per Euam perdidit per Chriſtum reſtaurat. Eua nil præter pomum vidit, & comedendo illud ſe Diuinitatem conſecuturam credidit. Nihil fidelis præter panem videt, & in eo credit

credit eſſe Filium Dei. Eua fallaci ſerpenti credidit; fidelis Deo, qui nec fallere poteſt, nec falli. Quapropter hic quod illa amiſit reſtaurat. Itáque vt ſcite prænotauit Rupertus. Æquum eſt, vt malæ credulitatis damna bona fides reparet; cúmque in hoc fidei myſterio plus homo ſubiectionem mentis, quam Deo reuelanti oſtendat; inde eſt, quod in eo gratiſſimum Deo potentiæ excellentiſſimæ, mentis ſcilicet offerat ſacrificium, in quo ipſum fidei donum, non ſolum huius myſterij; ſed aliorum omnium, ſibi promeretur augeri. [Iuſta ergo lege, inquit Rupertus, vt expietur ille reatus malæ credulitatis exigitur fides, vt credatis id, quod non videtis, credatis, inquam Deo dicenti. Hoc eſt corpus; hic eſt ſanguis, magis quam ſerpenti, qui per hæreticos dicit, non eſt caro, non eſt ſanguis, & eritis ſicut filij Dei.] Hæc Venerabilis Abbas. Verùm quid ſerpentes poterunt, qui ex orco ipſo prodiere, hæretici nempè, niſi orci venenum euomere, negantes omnipotenti potentiam, & ipſi veritati fidem.

Non ita Catholicus fidelis Eccleſiæ Romanæ filius, qui fidei armatus dono proculdubiò, & omni perplexitate expulſa tam diuini doni donatori credit S. Eucherij conſilio obtemperans ſalutari. [Recedat ergo, inquit, omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui author eſt muneris, ipſe etiam teſtis eſt veritatis dicens. Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus.] Quæ maior impietas, quam non credere veritatis authori. Hac ergo fide armetur fidelis, & fidem Deo præſtet, qui nec fallere, nec falli poteſt, & fides huius myſterij fidei ei pro ſcuto erit, vt ſe ab inſidiis, & inſultibus gehennalis ſerpentis

tueatur, non ſolum in hoc, ſed in aliis omnibus fidei myſteriis. Hoc conſilio nos armat Iſaais. c. 21. dicens: *Pone menſam, contemplare in ſpecula, comedentes, & bibentes, ſurgite Principes, arripite clypeum.* Surgunt ex hac menſa cœleſti Diuini amoris conuiuij, qui hoc pane veſcuntur, ita confortati, ita corroborati, tantáque fortitudine præditi, vt ad arma capienda, arripiendum ſcutum, & obuiam aduerſus inimicos eundum, vt eos fugent, vocentur. Quod autem aliud hoc poteſt ſcutum eſſe, niſi ſcutum fidei, & præcipuè huius myſterij, ex cuius menſa tanta fortitudine, tanto robore animati exſurgunt, vt cum omnibus hoſtibus ſuis in arenam deſcendere non formident, in hoc námque Diuino ſcuto recipiunt, & extingunt illæſi, & indemnes victis hoſtibus, confuſis omnia eorum ignita tela. In hoc ſenſu expoſuit hunc locum Doctor Maximus. [Vt comedentes, ait, & bibentes corpus, & ſanguinem Chriſti vertantur in Principes Eccleſiæ, arripiántque clypeum fidei, in quo poſſint ignita Diabolo iacula eijcere.] At ſi diceret. Qui ad hanc menſam Diuini amoris debita diſpoſitione ſedet, quamuis miles inhonoratus ſit in ſpirituali militia, ex illa exſurget Princeps effectus tanta fortitudine, & virtutis robore, vt clypeo fidei myſterij huius, omnibus ſuis poſſit reſiſtere hoſtibus, ſéque ab omnibus tentationum iaculis tam aduerſus hoc myſterium fidei, quàm aduerſus alia omnia myſteria protegere, ac defendere. Quis ergo cum tot, ac ita potentium inimicorum cuneis ſe videat circumdatum, ad hanc ſedere menſam totis viribus non procuret, in qua hoc fidei armandus eſt ſcuto, & ex qua ſurrecturus eſt conuerſus in Principem, & principali confirmatus

ſpiritu

ſpiritu, quem lachrymans precabatur Dauid dicens Spiritu principali confirma me, vt ab illorum tentationibus, & inſultibus immunis, & indemnis poſſit euadere, & hoc myſterio fidei in aliis omnibus, quæ fides credenda proponit, confirmari. In hoc enim myſtico clypeo lux quædam Diuina ſplendet quæ tenebras fugat mentis humanæ, & illa illuſtrata myſteria penetrat, quæ Eccleſia nos edocet Chriſti.

Ob rationem eandem, eóque ipſo, quod hoc myſterium ſit ineffabile, & ſupra omnem cogitatum humanum, vel Angelicum, dignius, propriúſque eſt intellectus Diuini, & ideò maiore reuerentia honorandum, firmioréque fide credendum, ipſúmque omnia alia myſteria credibiliora reddit, quæ Chriſtus Dominus Catholicæ Eccleſiæ, tanquam ſuæ dilectæ reuelauit ſponſæ. Non enim, niſi ſanam, verámque doctrinam docere poteſt Eccleſia, quæ Deo tam admirabile ſacrificium, & homini tot myſteriis plenum conuiuium offert. Nec humanum, nec ingenium angelicum rem ita Deo glorioſam, ita vtilem homini inuenire poſſent. Itáque ſolius Dei opus eſſe potuit, & inuentio, & ſola Eccleſia illa, quæ hoc infinito fruitur dono, & Deo in ſacrificium offert, eum reuerita, vt verum creatorem, Dominum, & Redemptorem ſuum, ſola illa eius eſt legitima, vtráque ſponſa, & aliæ nullatenus ſunt. Habet ratio hæc magnam efficaciam, & robur ad hanc efficaciter probandam, roborandámque veritatem. Vrbes, ſicut quidam dixit Philoſophus abſquè muris poterunt inueniri; non verò abſque templis, in quibus ei, quem, vt Deum adorant offerant ſacrificium. Idem naturale lumen, quo ipſe naturæ author ornat, & illuminat omnem

hominem

hominem venientem in hunc mundum eos omnes Deo docet offerre aliquod ſacrificij genus, vt reuereantur, vt venerentur, & honorent infinitam maieſtatem eius, & quæ ab infinita, & immenſa liberalitate illius receperunt, beneficia rependant. Et dum ſacrificium maioris eſt æſtimationis, & pretij, tanto magis æſtimationem, pretium, & amorem, quo eum, cui offertur, offerens proſequitur, oſtendit, plúſque eum colit, & honorat. Igitur, ſi poſſibile eſſet infinitæ æſtimationis, & pretij ſacrificium, illud infinitæ maieſtatis Dei eſſet digniſſimum, idque poſſe ſcire, & velle, inuenire, & inſtituere infinitæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis propriſſimum eſſet. Quæ verò alia inuentio, quî poſſet inueniri modus? Quæ ars reperiri, quamquam omnia hominum, Angelorúmque ingenia per totam æternitatem eam excogitare vellent, vt tale Deo ſacrificium offerretur, niſi hæc, quam infinita potentia, infinita ſapientia, & bonitate infinita ipſemet Deus inuenit, & executus eſt. Ars digna Diuini ingenij Verbi Dei, & Filij Dei dilecti eius, qui Patrem æternum ſuum honorare, & pro peccatis hominum ei voluit ſatisfactionem præſtare maiorem ei per hoc mirabile ſacrificium honorem reſtaurando, quam homo ab eo abſtulerat per peccatum. Ars Diuina, & Deo digna fuit, offeratur Deo in ſacrificium omnibus, quas creauit creatura mirabilior, quæ eſt homo, qui creatus fuit ad imaginem, & ſimilitudinem eius; appareat Deus in imagine ſua, & cum ea vniatur omnium perfectiſſima vnione, quæ eſt hypoſtatica; vniatur perſona diuina cum humanitate tot naturæ donis, tot gratiæ priuilegiis, & chariſmatibus prædita, & exornata, vt Filio Dei indecens non ſit eam apprehendere, eique intimè vniri ſtri-

ctiſſima

Digitized by Google

ctiſſimi omnium vnione. Itáque infinita Verbi Diuini perſona huic vnita creaturæ præſtabit ei pretium infinitum, & Deo in ſacrificium oblata infinitum honorem, eius infinitam recolens, & adorans maieſtatem; vtque hoc ſacrificium maiore decentia; & maiore merito fidei à populo offeratur fideli, oblatio hæc fiat ſub panis, & vini ſpeciebus, quia inter omnes cibos, quos Deus ad homines alendos creauit, hi ſunt, vt inueniantur faciliores, vt alant ſubſtantialiores, vt reficiant meliores, in eíſque Diuini huius ſacrificij, & vitalis cibi expreſſius proprietatis, & effectus ſignificantur. Sicut enim panis, & vinum, alimentum, robur, vitam, & ſuauitatem corpori exhibent, eodem modo eminenti hoc admirabile ſacramentum animæ præſtat effectus. Quid igitur, vel Deo glorioſius, vel homini vtilius excogitari, & inueniri poteſt? Quid nos in omnibus fidei myſteriis veritatibúſque confirmare plus poteſt, quam quod Catholica Eccleſia infiniti pretij ſacrificium habeat, quo Deo conferat infinitum honorem, ciúſque maieſtatem reuereantur infinitam, iugiter illud offerens in toto orbe terrarum per innumeros ſacerdotes, omni diei, noctíſque hora, illiúſque temperans iras, & auertens, ne mundum euertat, ſupplicia; ſecus enim propter peccata hominum, quæ inundauerunt iam funditùs orbem euertiſſet terrarum. Deſiderabatur ſacrificium hoc in mundo; Eccleſiæ ſuæ donauit illud Deus in bonum, & vtilitatem mundi. Eſt omnium ſacrificiorum apex, Catholicæ religionis flos, odor eius, vt doctus inquit neothericus; thuris excedit odorem, odoratáque omnia, quæ gignit Arabia, quoniam cœleſtis ſuauitas eius penetrat nubes, & Dei Paradiſum recreat,

&

& parentem ſummum ſapit. Hæreticis, qui perniciosa inuidia tanto nos bono priuare conantur. Eccleſiam Chriſti ſpoliare prætendunt excellentiſſimo ornamento, illuſtri decore, anima fidei, pignore immortalitatis, ſanctitatis oculis, deuotionis teſtimonio, diuinæ gloriæ, & maieſtatis argumento, & denique cultum Diuinum, qui tantum honorat, & glorificat Deum, diſſipare nituntur. Cum igitur hoc excellentiſſimum ſacrificium in ſola Chriſti Eccleſia inueniatur; immò, vt ſapientiſſimè S. Vincentius Ferrerius *ſerm. in cœna Domini* prænotauit. [Modo (verba ſunt huius Sancti) nec Agareni, nec Iudæi, alij infideles habent aliquod ſacrificium, quia tanta eſt excellentia huius ſacrificij, quod Deus ſic permittit, quod non fiat aliud ſacrificium in mundo.] Igitur ſola Chriſti Eccleſia eſt veritatis gymnaſium, ſanæ, & veræ doctrinæ magiſtra, & lapis lyctius ad diſcernendum aurum, verum à falſo; ergo alta eius myſteria credibiliora fiunt hoc altiſſimo fidei myſterio. Quis ergo ponderare, admirari, & debitas grates rependere ſufficiet pro ita ſingulari, ita admirabili beneficio, quod fidelibus ſuis contulit Deus, inter tot barbaras nationes, quæ in tenebris ambulant, & in vmbra infidelitatis ſedent nobis electis, nobis dilectis fidei lumen, & tam ſalutaris, & neceſſariæ veritatis cognitionem dedit? Quæ ponderatio digna erit? Quæ admiratio minor non erit tanti beneficij magnitudine? Qua poterit remunerari gratitudine? ò Deus ſapientiæ, miſericordiæ, & bonitatis profundiſſime abyſſe: quanto me obligationis vinculo hoc me conſtrixiſti fauore, hoc beneficio vinxiſti, & amore viciſti. O quam immenſum debitum amoris contraxi, quo amore perſoluam, quibus obſequiis

ſequiis me gratum oſtendam? Omnia mea membra, artúſque meos pro te torqueri, & lacerari vellem ſi ex vnoquóque illorum flumina manarent ſanguinis, & me totum conuertiſſem in mare lachrymarum teneritudinis, gratitudinis, & amoris, & hoc innumera viciſſitudine repeterem; hæc omnia ad perſoluendam vnam lachrymam ex multis, quas pro me perfudiſti, non ſufficerent. Quo igitur debito obſtringar, cum hoc mihi excellentiſſimum ſacrificium dederis, & in eo corpus tuum, animam tuam, diuinitatem tuam, omnéſque theſauros, quos in te poſuit æternus Pater tuus. Adde, Domine beneficium beneficio, & donum dono, & mihi concede, vt amore pro te deficiam, qui talia pro meo amore feciſti, vt te ſequendo, & tibi obſequendo totum me tradam, totum me conſumam. Vltimus vitæ meæ halitus mihi pro te mori deſideranti deficiant, pro te, qui pro me tanto amore vitam, vt me à morte liberares fudiſti. Cúmque te totum mihi te offeras in hoc ſacrificio, da mihi, vt me totum tibi imperfectiſſimum holocauſtum offeram, corpus, & animam, ſenſus, & potentias, ita, vt nihil in me ſit, quod in tui Diuini amoris dulciſſimo igne non ardeat.

FRVCTVS XI.

FRVCTVS ISTE LIGNI VITÆ, noua ſacrificium legis, omnia antiqua legis exceſſu infinito ſuperat.

VLterius non poſſe progredi videbatur immenſa liberalitas Dei, cum in hoc tam ſumptuoſo conuiuio totum ſeipſum hominibus in eſcam.

eſcam, & delicias dederit; qui enim ſe ipſum dat, nil vlterius ſe poſſe dare videtur. Verùm infinita miſericordia, & bonitas Dei noua beneficia, noua dona, quæ hominibus largiretur inuenit. Voluit & enim, quod non ſolum ſacramentum; ſed ſimul ſacrificium eſſet, & non ſolum gratiæ theſauros; ſed ſcelerum remiſſiones donaret, nec ſolum delicias, & alimenta præſtaret; verum etiam ita excellens ſacrificium eſſet, vt omnia veteris ſacrificia legis infinitè antecelleret, & vnum licet, aliorum omnium effectus, & proprietates diuina eminentia contineret; eſſétque, vt aurum inter metalla, oleum inter alios liquores, & ſol inter alios planetas.

Quadruplici ſacrificiorum genere antiqui patres, tam naturalis legis, quàm ſcriptæ Deo retribuebant honorem. Primum holocauſtum vocabant, in quo totum animal Deo oblatum, & tam oſſa, quam pelles igne conſumebantur; eóque volebant, vt omnium rerum creatorem, ſupremúmque Dominum reuereri Deum. Sic, vt ex ſacris litteris cònſtat filium ſuum Abrahamus Deo voluit in holocauſtum offerre. Ideo ſtruem lignorum, ignémque portabat, vt dilectam victimam illam igne conſumeret, Deóque, vt omnium rerum authori, ſupremóque Domino, qui, vt talis præceptum dederat, debitum præſtaret honorem. Verum omnia holocauſta, quæ Deo homines, vel obtulerunt, vel poſſunt offerre, quanquam omnia terræ animantia cum omnium lignis montium ſacrificarent, quanquam hominum, & Angelorum omnes vita offerrent, omnia hæc ſimul ſumpta, & in eius honorem conſumpta infinitæ Dei maieſtatis dignum holocauſtum non erunt. Hoc ſolum Diuinum holocauſtum

infinita

infinita Incarnati Verbi ſapientia inſtitutum, quia Diuinus iſte Agnus, qui offertur in eo, hic Iſaac dilectus infinitæ vnitus eſt perſonæ, pretium habet infinitum, dignúmque eſt maieſtatis infinitæ Patris ſui æterni; veréque homines aſſerere poſſumus nos Dei offerre maieſtati, & bonitati eius æquale ſacrificium æquè bonum, & æquè dignum, nec melius, nec infinitæ bonitati eius dignius, vel excellentius poſſe offerri: Cum igitur holocauſtum illud, quod voluit Abrahamus offerre, licet ſine effectu, ſolo affectu ita fuerit illi gratum, vt propter illud magnis eum beneficiis, & donis cumulauerit, quibus beneficiis, quibus donis illum, qui dignè receperit hoc ſacramentum, & excellentiſſimum hoc holocauſtum obtulerit, non locupletauerit, cum hoc infinitè omnia alia ſacrificia antecellat.

Primum ſacrificium hoſtia pacifica, vel ſacrificium laudis, & gratiarum actionis vocabatur; offerebatúrque Deo, vt ei homo pro acceptis beneficiis gratias ageret, agnoſceretque omnia ab eius immenſa liberalitate prouenire. Hoc ſacrificium laudis plus Deum laudat, plus Deum honorat, quam omnium animalium ſanguis, qui effundebatur in Salomonis templo. Sic Deus ipſe Dauidico reuelauit ore dicens. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Cum autem innumera ſint beneficia, quæ nobis Deus iugiter confert, non toties reſpirare, vt inquit D. Chryſoſtomus, quàm Dei meminiſſe debemus, vt gratos nos tanto benefactori oſtendamus. Quamobrem ſæpè nobis repetenda ſunt filiali affectu Eccleſiæ matris noſtræ verba illa, quæ Sacerdos, quoties ſacrum facit hócque Diuinum ſacrificium offert repetit dicens: *Verè dignum, & iuſtum eſt, æquum, & ſalutare*

nos

nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine Sanctè Pater Omnipotens æterne Deus. Quis ergo pro beneficiis innumeris infinito collatis amore, & à maieſtate infinita gratias reddet æquales, niſi infiniti pretij offerat ſacrificium, quod ſolum ei infinitam laudem reddit, & honorem. Hoc eſt vitæ lignum conuiuij Diuini amoris ſuauiſſimum ferculum, & in altaris menſa gratiſſimum, & excellentiſſimum ſacrificium, quod alia omnia veteris legis ſuperat infinitè. Si Deus infinitos conderet mundos, in eiſque infinitos tam homines, quam Angelos, & omnes verterentur in linguas, vt laudarent, honorarentque Deum, æqualem laudem, æqualem ei præſtare non poſſent honorem laudi, & honori, quo eum afficit hæc ſola hoſtia pacifica, hoc ſolum gratiarum actionis excellentiſſimum ſacrificium; & illo ſolo omnia à Deo accepta dona, & beneficia pretio poſſumus rependere æquali, ita, vt nihil amplius perſoluendum debeamus. O benefactor infinite, & æterne, quis tot linguas, quot arbores folia, quot mare arenas, & ſydera cœlum habet, haberet, vt iugiter eas in tuis laudibus, & præconiis exerceret gratum ſe tuis oſtendens beneficiis, & huic præcipuè beneficiorum maximo, & ſacrificiorum excellentiſſimo. Tu Deus meus me miſerum, & pauperem adiuua. Tu, qui illud inſtituens non ſolum mihi beneficium contuliſti; ſed pro me æterno tuo Patri gratias egiſti.

Tertium ſacrificium propitiatorium, hoſtia, & victima pro peccatis nuncupatur, illo enim pro peccatis ſatisfactionem Deo conabantur præſtare, eiúſque iras placare. Ad hunc altiſſimum vtiliſſimúmque finem, ad eripiendas nempè animas à miſera ſeruitute peccati in libertatem filiorum Dei,

maius,

maius? digniúſque Dei opus, quàm cœlos è nihilo creare, & mortuos ſuſcitare Inepta erant omnia veteris ſacrificia legis. Idcirco elementa ſimplicia, & vacua virtute appellata ſunt ab Apoſtolo Paulo. *Ad Galat.* 4. Et *Ad Hebra.* 10. dixit: *Impoſſibile eſt ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata.* Animas à peccato mundare nil aliud eſt, quàm eas à peccati morte ad gratiæ vitam ſuſcitare, eáſque in cœlos transformare. Operi patrando ita cœleſti, ita Diuino omnia antiquæ legis ſacrificia virtute carebant. Cæterùm ſacrificium hoc cœleſte, ac Diuinum, vt aſſerit Concilium Tridentinum propitiatorium eſt pro peccatis. *Seſſ.* 22. *c.* 2. Hæc habet. *Docet ſancta ſynodus ſacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe, per ipſúmque fieri, vt ſi cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio oppertuno.* Verba quidem digna Diuini Spiritus lumine illuſtrato concilio. Dico vtiliſſima docet. Primum Diuinum hoc ſacrificium propitiatorium eſſe pro peccatis. Deinde modum, quo homo præparari debet, vt illud Deo offerat cum ſpirituali profectu. Vero corde, recta fide, timore, & reuerentia; peccatorum contritione ad hoc tremendum ſacrificium accedendum eſt, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno, dum ſcilicet hæc vita durat. Atque, vt peccatores ſpe veniæ confirmet dicti rationem reddit dicens: *Huius quippè oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens crimina, & peccata etiam ingentia dimittit. Vna enim, eadémque eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum in Cruce obtulit Sola*

offerendi

offerendi ratione diuerſa. Hoc à Sacro ſancto Concilio Tridentino docetur, & huic innixus doctrinæ dixit Ruſbrochius. Quod licet innumera, & grauiſſima per plures annos aliquis perpetraſſet peccata vno numero ſacro facto debita diſpoſitione, dum modo per illum non ſtaret, quantum ad Sacrificij virtutem ſpectat, perfectiſſimè ab omnibus liber euaderet, ita, ſi tunc obiret recta via in cœlum abiret à purgantibus flammis immunis. Quod non ſolum de ſacrum faciente; ſed etiam de audiente debet intelligi, ſi debita præparatione communicat, & hoſtiam Deo ſummè acceptam accipiens vnà cum Sacerdote idem Sacrificium Deo in ſuorum criminum offert propitiationem, cùm tam in hoc, quàm in illo infinitum habeat valorem, ſempérque æterno Patri gratum ſit infinitè.

Quæ igitur res eſſe poterit pretij, & æſtimationis maioris? Quid homini vtilius, quam Deum habere propitium, pretiúmque ad ſoluenda debita habere, quæ, niſi infinito pretio non poſſunt perſolui? Quis ergo viua fide, ſecura ſpe, charitate ardenti, veráque cordis contritione, vt recipiat, & offerat Deo tam ſanctum, ac ſalutare ſacrificium non conatur accedere, vt omnium debitorum ſolutionem, morborum medicinam, malorum omnium remedium, & bonorum omnium theſaurum habeat? O Redemptoris mei immenſa miſericordia, & bonitas, ô amabilis Iesvs, ô liberaliſſime Domine, qui ita inæſtimabiles filiis tuis reliquiſti theſauros in hoc ſacrificio, ita Deo glorioſo, ita cœlo admirabili, ita terræ vili, miſeríſque peccatoribus ita miſericordia diuite.

Quartum Sacrificium vocabatur victima ſalutaris; Deóque ad beneficia, & dona comparanda offerebatur,

offerebatur, erat itáque impetratorium. Si ergo agnum, aliú ſve ſimile in lege veteri offerentes quam plurima bona, & dona impetrabant, in lege gratiæ quas à Deo non conſequentur gratias? Quos non adipiſcentur fauores ipſum ſuum vnigenitum Filium æterno Patri offerentes in hoc diuino ſacrificio; Agnum videlicet eum, qui tollit peccata mundi, Deo placet, eúmque placat? Tanta donorum vis eſt, vt iudicem rectum, licet ſi dona accipiat, quadam, quaſi neceſſitate cogant, vt ſe benignum, gratum, humanúmque erga donantem oſtendat. Diuini honori zelo cœlum clauſerat Elias, ne plueret ſuper terram, quapropter tam homines, quam bruta animalia fame peribant, indigentiáque eadem premebatur Propheta, apparuit illi Deus, iuſſitque, vt Sareptam in viduæ domum, quæ eum aleret adiret. Res quidem myſterio plena Nonne, vt aliàs potuiſſet Deus Angelum mittere, vel ſaltem coruum, qui Eliam paſceret, quarè eum ad viduam pauperem eadem neceſſitate oppreſſam paſcendum immittit. *Vade*, verba ſunt ſacri textus, 3. *Reg.* 17. *in Sarepta Sidoniorum, præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt paſcat te.* Volebat Deus, quod miteſcerent Eliæ rigores, & benignior, humaniórque cœleſtis aquæ arcas aperire quaſi coactus eſſet, miſericordiáque commotus hoc populo ſuo beneficium conferret. Ad quod conſequendum efficacius eſt medium, quod dona accipiat, beneficium, & alimentum à vidua, quæ ab eo virtute doni impetrabit pluuiam Quod non aliter contigit. Audiamus Seleuciæ Epiſcopum Baſilium, qui huic menti aſſentitus dixit: [Eum ad mulierem viduam mittit, qui voce naturam pluuia viduarat, vt vel inuitus euadat humanus, & nubes ſilentio

ſilentio conſtrictas ſoluat.] Cum igitur terrena hæc, licet parua dona tanta virtute ſint prædita vt Sanctum virum hunc ad ſe benignum, humanum, gratúmque oſtendendum, quaſi coëgerint, vt, vel inuitus pluuiam faceret de cœlo deſcendere; Donum pretij infiniti, donum toto precioſius cœlo, donum Deo, cui offertur infinitè gratum, quanta à Deo impetrabit beneficia, quanta comparabit dona? Quas non conſequetur pluuias donorum? Quid à Deo poſtulabit homo, quod non impetret, quod donum, quod non comparet? quod in cœlo negotium aget, quod felicem non ſortiatur effectum. Ne ergo parci ſimus ad petendum, cum Deus ita ſe exhibet liberalem ad dandum, ne nobis fides deſit ad impetrandum, cùm Deo liberalitas non deeſt ad largiendum. Ex vna communione debitè, & feruenter præparata poſſumus hoc offerentes donum diuites donis remanere diuinis. Quis tamen propriæ ſuæ vtilitatis ita oblitus eſt, & ita boni ſui negligens, vt tantam obliuiſcatur vtilitatem, tantum bonum negligat recipere?

FRVCTVS XII.

EX DIVINIS FRVCTIBVS, QVOS hæc eſca Diuina producit nos, vt cognoſcamus ducit ingenio non fuiſſe inuentam humano.

EX fructu dignoſcitur arbor, doctrina eſt increatæ Sapiētiæ. *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*. Si fructus sūt fruct⁹ vitæ, arbor erit arbor vitæ, quod

quod ſi vita, quam dat eſt Diuina, arbor erit Diuina. Cum ergo Diuini huius ſacramenti fructus ſint fructus Diuini manifeſtè colligitur non fuiſſe inuentum humanum, Deúmque auctorem habere; Deúmque eſſe, qui medio illo, diuinos hos operatur effectus. Materia ipſa panis, & vini, quam Chriſtus Dominus ad hoc ſacramentum conficiendum elegit, mirabiles hos, quibus animas hominum locupletat, effectus declarat, cùm illud debita diſpoſitione recipiunt. Poterat Chriſtus, vt corpus ſuum conſecraret laminam auream, vel argenteam eligere, & ad conſecrandum ſanguinem pretioſiſſimum liquorem ſuauiſſimis confectum odoribus. Quare ergo panem, & vinum elegit? Hanc proculdubio materiam præ aliis elegit, vt in panis, & vini effectibus, quos corporibus tribuunt ſpirituales, quibus animæ communicantium potiuntur nobis demonſtraret effectus. Hos poſſumus ad tres reducere, quos in corporibus corporeus cibus principaliter efficit, vt quos Chriſtus Dominus hoc cœleſti cibo in noſtris operatur animabus dignoſcere poſſimus.

Primus cibi effectus eſt vitam corporis alere. Cum enim innatus calor ſubſtantiam noſtram perpetua conſumptione diſſipet, non aliter, ac ignis in lampade oleum; ideo opus eſt, quod calore deperditur cibo reparare; vt videre eſt in prædicto lampadis ſimili, quæ, vt iugiter ardeat oleo debet iugiter ali. Ita ſimiliter, quia in noſtris cordibus concupiſcentiæ ignis virtutem, qua viuit, & alitur perpetua conſumptione diſſipat, perpetuo debet hoc Diuino alimento reparari; ſecus enim citò vitam amittit gratiæ. Ideò Chriſti carnem ſacri Doctores viuificam appellant, quia vi-

tam reparat. Diuúſque Apollinaris. *In manuſcripto Vaticano.* aptè dixit ad mentem noſtram. [Non licet nobis ad conſequendam vitam æternam Verbo Dei perfrui, niſi per quoddam carnis ſuæ commercium, quoúſque enim carni Verbum commixtum non fuit, obnoxia morti caro omnis continebatur. Porrò nunc in cibum datur nobis caro viuifica Chriſti.] Scitè quidem Sanctus hic Doctor. Eamdémque veritatem ſapienter confirmauit S. Cyrillus. *Epiſt. ad Colyſiriam.* [Decebat, inquit, cum noſtris quodam modo vniri corporibus per ſacram eius carnem, & pretioſum ſanguinem, vt corpus vitæ, quaſi quoddam ſemen viuificatiuum inueniatur in nobis.] Hæc D.Cyrillus. Vnde ergo oritur quod ſæpè videmus, & deflemus; quod tot homines in viuis corporibus mortuas animas portent, tamquam in dealbatis ſepulchris cadauera? Vndè prouenit, quod ita facilè vitam gratiæ amittant, & ita difficulter reſtaurent? Per menſes, & integros annos noxia grauati pigritia, vt animabus ſuis viuificum hoc alimentum miniſtrent, manum ad os leuare recuſant, quamobrem vitam gratiæ miſerrimè amittunt. Quid poteſt infelicius contingere, quam cùm omnibus parata ſit menſa, & vitali hoc cibo à Chriſto Domino inuitentur, ſpontè velint fame perire? Quod amentiæ genus, quod deſperationis baratrum excogitari irrationalius poteſt? Vbi eſt vitæ connaturalis amor? Quis eorum intellectum obcæcat, quis faſcinat, & dementat eos? Iure quidem exclamat Apoſtolus Paulus. *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit?* Idem de his hominibus, ſi homines, & non bruta pecora dici debeant, dicere poſſumus. Cum enim tam facilè poſſint hunc viuificum manducantes cibum

vitam gratiæ ſeruare; ſponte ſua in miſeræ mortis vmbra, in mortali videlicet culpa eligant ſe mortuos iacere. Quæ vecordia, quæ amentia major potuit vnquam in hominum cadere mentem? E contrà verò non ſemel videmus eos, qui hoc vitali alimento paſcuntur, & cœleſtem hanc menſam frequentant viuifico Chriſti corpori vnitos per plures annos, & per totam vitam, gratiæ vitam, quæ vita eſt Diuina, conſeruare, & augere ſemine recepto viuifico. Igitur ex Diuino hoc effectu manifeſtè colligitur mirabile hoc ſacramentum non fuiſſe inuentum humanum. Quis ergo, omni excuſa pigritia, & obice omni deuicto ad hanc non totis conatur viribus frequenter menſam ſedere, & eſſe Chriſti conuiuam?

Secundus cibi effectus eſt corpori dare, & conſeruare vires; idémque efficit diuinum hoc ſacramentum infinita excellentia in eo, qui hoc cœleſti cibo debita præparatione reficitur. Fatigatus Elias, & longo debilitatus itinere, & fatigatione, & labore ita exanimis, vt mortem ad illius leuamen optaret. Fatigatione oppreſſus proiecit ſe ſub vmbram iuniperi, obdormiuítque. Verùm, quia, cum iuſtus dormit, Deus, vt ei opituletur vigilat, miſit Angelum ſuum de cœlis, qui cibum ei, & alimentum detulit, illúmque à ſomno excitans dixit. *Surge, comede, grandis enim tibi reſtat via. Qui, cum ſurrexiſſet comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Oreb.* Quis verè cibus iſte fuit, qui Sancto Prophetæ huic tantam fortitudinem tribuit, cùm tanta oppreſſus fatigatione iacebat? In eodem capite ſacra pagina dicit panem fuiſſe ſubcineritium. Hic verò panis ignis prunis con-

coctus, quid nobis ſignificat? Vt plurimum ſacri interpretes cibi huius Diuini, Angelorúmque panis, quem Diuini amoris ignis concoxit, vt homines aleret, & reficeret, ſubcineritium panem vmbram fuiſſe conſentiunt. Hinc Venetus Patriarcha S. Laurentius Iuſtinianus optimum ad mentem noſtram argumentum elicit dicens: [Si ſubcineritius panis, & aquæ potus Prophetæ tantas adhibuit vires, vt in ipſius cibi virtute gradiens diebus quadraginta, & noctibus, totidem permaneret ieiunus, quid panis Chriſti, qui eſt panis vitæ rectè ſumentibus ſpiritualiter fortitudinis conferre valebit.] Hæc Sanctus Patriarcha.

Quis eſt, qui in ſe ipſo hunc non experiatur effectum cùm debita diſpoſitione ad diuinam hanc menſam accedit? Propterea glorioſus Martyr Cyprianus, cum ſæuior graſſabatur tyrannorum in Chriſtianum gregem perſecutio, cum ad frequentandam hanc menſam, hunc panem edendum, vt illius roborati virtute non formidarent tormenta, exhortabatur fortiter, & frequenter; ipſéque hoc cibo confortatus diuino tam illuſtrem promeruit eſſe Martyrem Chriſti Non eſt labor; qui leuis non fiat, non eſt tribulatio, quæ non reddatur ſuauis, nullum, quod non dulceſcat tormentum, nulla pœna, quæ non vertatur in gloriam, & qui debita præparatione mirabilem hanc menſam frequentat. Quæ res igitur majori debet procurari conatu, & omni negòtio præferri? Quando labores, qui nos circumdant, pœnæ quæ nos affligunt, timores, qui nos conturbant, pericula, quæ nobis imminent, tribulationes, quæ nos angunt, difficultates, quæ nobis timorem incutiunt, tentationes, quæ nos vrgent, ſupra modum creuerunt, quid pluris

faciendum

faciendum eſt, quid dignius amari, & inquiri totis animi viribus, quam pane illo veſci Diuino, qui virtute ſua ſine labore, ſine pœna, ſine timore, ſine periculo, ſine tribulatione, ſine difficultate victis omnibus inimicorum noſtrorum tentationibus, & inſultibus in ſanctitatis, & perfectionis cœleſtiſque Patriæ montem iter agere ſecuri poſſimus. Notum eſt ergo ex hoc effectu Diuino, quem Sacramentum hoc producit Diuinum, ab ingenio non fuiſſe inuentum humano.

Tertius cibi effectus eſt palato edentis ſuauitatem præbere, ſapientiſſimus námque noſtræ author naturæ niſi cibis ſaporem tribuiſſet, nemo eſſet, qui appeteret cibos, vt ipſa experientia in ægrotis videmus, quia miſſo ſaporis guſtu prætioſiſſimas dapes, quibus ſani delectantur faſtidiunt, & quas ſani auebant; ægroti odio habent. Ineffabilem dulcedinem, incomparabiles delitias, quas puris, & dignè diſpoſitis animis cœleſtis hic panis largitur, ſolus ille concipere poterit, qui pura mente illum promeruerit recipere. Comparatur non ſemel à ſacris expoſitoribus fauo mellis cibus iſte Diuinus. Fauus mellis ab Ambroſio vocatur. Fauus de ore leonis à D.Paulo, à Venerabili Beda Fauus, quem apes fidelium circumdant. In quo igitur fauo mellis hic cœleſtis panis ſimilis dicitur, niſi in ſua ineffabili, & incomparabili ſuauitate, ac dulcedine. Sicut enim nulla alia dulcedo cum mellis poteſt comparari dulcedine, & mel eſt, vt ſacer textus ait, totius dulcedinis fons, ita, vt Doctor Angelicus. *Opuſc* 57. inquit de hoc cœleſti cibo loquens: [Suauitatem deníque huius ſacramenti nullus exprimere ſufficit, per quod ſpiritualis dulcedo in ſuo fonte guſtatur.] Hæc Angelus Doctor. Cum autem nemo, niſi qui mel

deguſtat mellis poſſit noſſe dulcedinem, ita pariter, cœleſtis cibi huius nemo agnoſcere poterit, quam ſit dulcedo ineffabilis, niſi qui experiatur eius ſuauitatem ſaporis, & licet experiatur eam, vt illam exponat copia ei verborum deficiet.

Creauit Deus quam plures arbores in Paradiſo voluptatis, vt hominis deſeruirent tam alimento, quam voluptati, de eíſque ſacer textus hæc habet. *Gen.2 9. Produxit Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue.* Pulchritudinem, ſuauitatémque laudat. Cúmque deinde de ligno vitæ agat, quod, vt omnium excellentiſſimum medium in Paradiſo locum habebat, nec tamen eius pulchritudinis meminit, nec fecit ſuauitatis mentionem, vtrúmque ſilentio prætermittit. Quæ igitur eſt huius ratio myſterij? Ea fuit proculdubio, quoniam vt communiter ſacri ſentiunt interpretes, arbor iſta mirabilis, huius ſymbolum fuit ſacramenti admirabilis, cuius dulcedo, cuius ſuauitas, cuius Diuinus ſapor eſt omnino ineffabilis, & ſolus ille, qui eam experitur aliquantulum valebit intelligere; nullus vero verbis exprimere.

Non caret myſterio, quod, cùm ſacri Euangeliſtæ de venerabili hoc loquuntur ſacramento, de mirabili dulcedine, & ſuauitate illius nihil nos docent, nihil nobis annunciant, eámque ſilentio prætermittunt. Mentio fit de manna in ſacris litteris, eiuſque dulcedo laudatur; aquæ illius, quum Moyſes elicuit ex petra ſuauitas declaratur & mellis comparatur dulcedini. Edunt mel de petra, oleum de ſaxo duriſſimo de hoc vero cœleſti conuiuio quod ſuis Chriſtus facit fidelibus cum Chriſti Euangelium mentionem facit, de ſuauitate & dulcedine illius, qua omnes ſapores, om-

néſque

néſque mundi delitias infinitè antecellit, nihil dicit, nihil loquitur, ſed ſilentio prætermittit. Ratio huius eſt abſque dubio quia nihil eſt, cui poſſit comparari, eſt quippe incomparabilis, nec verba ſunt, quibus poſſit explicari, eſt quippè ineffabilis.

Vere quidem res ita ſe habet. Si vero aliquid de mira huius cœleſtis cibi inueſtigandum eſt ſuauitate, non aliunde conijci poteſt, niſi ex mirandis ſupra modum effectibus, quos puris mentibus, quæ purgato terrenis affectibus corde, hoc cœleſti pane veſcuntur, non ſemel conferre videmus. Quis ſuauitatis ſapor, quæ dulcedo in toto orbe terrarum potuit vnquam inueniri, quæ ſuauitatis magnitudine ſenſibus omnibus hominem priuet, eiúſque omnes ita potentias in extaſim rapiat, vt quaſi in mellis mare ſubmerſus, nec ſentiat, nec cogitet, nec poſſit ſentire, nec cogitare, nec per dies, & integras hebdomadas aliud agere, quam ſuauiſſimo nectare, illecebríſque perfrui Diuinis. De Sancta Catharina Senenſi in Bulla Canonizationis eius refertur, quod poſt receptam Euchariſtiam ita in ſpiritu manebat abſorpta, & quaſi in pelagus delitiarum ſubmerſa, vt ferreis ſtilis percuſſa, quaſi ſaxea eſſet, nil omnino ſentiret. Idem Seraphico contingebat Franciſco, de quo Seraphicus Doctor ſcribit ſæpè, cum cœleſtem hunc panem edebat in ſpiritu raptum ad Paradiſi gaudia fruenda perferri. De Sancta Marguarita Regis Vngariæ filia apud Surium habetur, tanta ſuauitate, ac dulcedine, cum ſacram eſcam recipiebat, impleri, vt ſine ſenſibus, quaſi mortua maneret, & non ſemel viſa fuit in aëra à terra ſuſpenſa.

Quibus delitiis vllus homo fuit vnquam poti-

Digitized by Google

tus in orbe, quo gaudio, ita magno, vt tales in eo, ac tam Diuinos operaretur effectus? Quis vnquam talia, vel legit, vel audiuit eueniſſe Salomoni Regi, qui præ mortalibus omnibus pluribus, ac maioribus delitiis abundauit. Notum eſt ergo ex Diuinis, qui in hoc Diuino conuiuio experiuntur effectus, ingenio non eſſe inuentum humano. Cùm igitur quam ſæpè videamus quam plures homines immenſis laboribus, curis, fatigationibus, & periculis viles, breues, & immundas voluptates venari, quare tu anima mea non laboras, non niteris, non ſummo ſtudio peruigilas, vt digna præparatione ad hunc delitiarum fontem accedas, vt cœleſtis Paradiſi Diuina voluptate fruaris in hoc Diuini amoris conuiuio, ad quod ipſe Dei Filius veræ fons voluptatis ſummo te inuitat amore, vt poſſis in eo veris, puris, cœleſtibúſque perfrui delitiis diuinam ſuauitatem, & dulcedinem in ſuo fonte deguſtans.

Finem igitur huic ſecundo libro imponamus Diuini huius Sacramenti laudes redigentes ad ſummam Chriſtiani Ciceronis, & eloquentiſſimi Patris Ludouici Granatenſis dignis tanto ſcriptore verbis, quæ ex Hiſpano in Latinum idioma traducta ita ſe habent. Sileant naturæ, & gratiæ opera omnia, quoniam opus hoc eſt, ſuper omne opus, & hæc gratia eſt ſingularis. O Sacramentum admirabile, quid de te dicam! Quibus te verbis laudabo? Tu noſtrarum animarum es vita, medicina vulnerum, laborum ſolatium, Chriſti Domini memoriale, illiúſque teſtimonium amoris, pretioſiſſimum teſtamenti eius legatum, noſtræ peregrinationis ſocietas, exilij noſtri lætitia, ignita pruna ad Diuini amoris incendium, ad gratiæ receptionem excellentiſſimum medium,

pignus

pignus futuræ gloriæ, & Chriſtianæ vitæ theſaurus. Hoc cœleſti cibo anima Dei ſponſa dilecto ſuo vnitur ſponſo, hoc hominis illuminatur intellectus, excitatur memoria, & voluntas incenditur, interior delectatur guſtus, augetur deuotio, præcordia liqueſiunt, lachrymarum fontes erumpunt, animæ paſſiones ſapiuntur, ſancta deſideria excitantur, noſtra roboratur fragilitas, eóque tantam fortitudinem induit, vt iter agat vſque ad montem Dei. Quæ lingua digne poterit Sacramenti huius enarrare præconia, quis digne pro tanto beneficio gratias agere? Quis totus non effluat in lachrymas, cum Deum ſibi contempletur vnitum, verba non ſufficiunt, deficit intellectus conſiderans Diuini huius ſacramenti virtutes.

Quas vero delitias, quam ſuauitatem, quos anima iuſti in illa felici hora, in qua recipit illud, vitæ non ſentit odores? Nihil tunc ibi aliud, niſi interioris hominis dulciſſima cantica reſonant, clamores, deſideria, gratiarum actiones, & verba ſuauiſſima in dilecti ſponſi laudes. Ibi enim deuota anima venerabilis ſacramenti virtute tota renouatur interius, deuotione recreatur, pace nutritur, in fide roboratur, in ſpe confirmatur, & ſuauiſſimæ charitatis vinculis cum ſuo dulciſſimo Redemptore copulatur. Inde prouenit, vt in dies in amore feruentior, in tentationibus fortior, ad labores promptior, in bonis operibus ſolicitior, & in huius frequentatione myſterij fiat appetentior. Hæc omnia ab hoc eloquentiſſimo ſcriptore deſumpta ſunt, & omnia nos inuitare debent ad Diuini huius æſtimationem, & frequentationem conuiuij.

LECTORI LEVAMEN muſica conuiuij.

MYSTERII HVIVS FIDES MIRAbili confirmatur euentu.

PIſcatoris nauem Innocentio Tertio gubernante, Ioannes Bonus Mantuanus magna floruit ſanctitatis fama. Sanctus hic vir diuinum hoc ſacramentum frequentabat, magnum cognoſcens ſine eo in virtutibus fieri non poſſe progreſſum, irridebat eum homo quidam indeuotus, & ad hoc fidei myſterium, quia vacillabat in fide, non bene affectus. Sciens verò ſeruus Dei, quam magno miſer ille peccator teneretur errore, miſeratione commotus vocauit eum, & ad aquæ fontem conduxit, & aquam hauriens in vaſe ei propinauit, vt biberet, bibit, & faſſus eſt ſe numquam pretioſius, vel ſuauius vinum bibiſſe. Tunc ſanctus vir dixit illi. Ecce chariſſime frater magnum hoc miraculum, quod in conſpectu tuo operatus eſt Deus, ſi ergo pro me vili eius ſeruulo virtute Diuina aqua conuerſa eſt in tam pretioſum, ac ſuaue vinum, quanto magis credendum tibi eſt, quod virtute verborum, quæ Sacerdos profert, & verba ſunt Chriſti, panis, & vinum in Chriſti corporis, & ſanguinis conuertantur ſubſtantiam. Hoc miraculo dubius, & errans in fide à dubio, & errore ſanatus fuit.

Bonus tam vita, quàm nomine mali, & indeuoti incredulitatem correxit, aquam in vinum conuertit, & cor indeuotum, & frigidum calido vino deuotionis repleuit. Magnum fuit miraculum primumq;, maius verò ſecundum.

LIBER III.

Digitized by Google

LIBER III.

CONVIVII DIVINI AMORIS.

FERCVLVM I.

MVLTA LICET DEVM COMMOuerint ad hoc hominibus conuiuium faciendum primum mobile amor fuit.

SAcroſanctum Tridentinum concilium, vtpote Spiritus Sancti ſpeciali aſſiſtentia illuſtratum præcipuas rationes tetigit, quibus Pater, Sponſus, & Redemptor noſter Chriſtus ad Diuinum hoc ſacramentum inſtituendum impulſus fuit, & in *ſeſſ.* 13. *c.* 2. hæc verba Sanctiſſima habet. [Ergo Saluator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem ſacramentum hoc inſtituit, in quo diuitias diuini ſui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilem ſuorum, & in illius ſumptione colere nos ſui

memoriam præcepit, ſuámque annunciare mortem, donec ipſe ad iudicandum mundum veniat. Sumi autem voluit ſacramentum hoc, tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes vita illius, qui dixit. Qui manducat me, & ipſe viuet propter me, & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur. Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis, adeóque ſymbolum vnius illius corporis, cuius ipſe caput exiſtit, cuique nos tanquam membra arctiſſima fidei, ſpei, & charitatis connexione adſtrictos eſſe voluit, vt id ipſum omnes diceremus, nec eſſent in nobis ſchiſmata.]

Primus, & princeps impulſus, quem aſſignat amor eſt. Voluit ſuper hominem, tanquam ſuper imaginem, & ſimilitudinem ſuam infinitæ bonitatis ſuæ theſauros effundere. Et idcirco hoc Diuini amoris conuiuium inſtituit, in quo diuitias Diuini ſui erga homines amoris, velut effudit. De huius magnitudine amoris ſupra in duobus libris pro noſtri ingenij tenuitate diſſeruimus, & infra in hoc diſſeremus.

Secundus fuit memoriam facere omnium mirabilium ſuorum, quæ ab initio mundi, vt hominibus benefaceret, fecerat, vt illis pro memoriali eſſet, ne obliuiſcantur infiniti benefactoris ſui, illíque gratias agentes innumera bona ab ipſius immenſa liberalitate accepta rependerent.

Tertius fuit, vt quas pœnas Dominus gloriæ pro miſeris vermiculis paſſus eſt in memoriam reuocaret numquam oblitus homo Filium Dei, vt hoc illi conuiuium pararet, alapas, flagella, & innumera tormenta alia, perpeſſum fuiſſe. Cúmque

que amabilis Redemptor tot indigna pro indignis dignatus fuerit pati, æquum eſt, vt ſine ſocio pati, tantum benefactorem beneficiatus homo non patiatur.

Quartus fuit, vt fames cordis humani, quam ſolus Deus, cui illud creatum eſt, & nihil aliud præter Deum ſatiare ſufficiens eſt, mirabili hoc cibo, in quo ſunt omnes delitiæ Dei, & ipſe Deus ſe miniſtrat edendum, ſatietatem haberet.

Quintus, vt laborioſo, longóque itineri ex vita temporali ad æternam, ex exilio ad patriam, homo viaticum haberet, quo aleretur, & in cuius fortitudine deambularet vſque ad montem Dei.

Sextus, vt genus humanum morborum omnium, quibus laborat ob Originalem noxam, à tempore infelici illo, quo parens noſter Adamus veneniferum pomum edit, & nos infecit veneno cœlitus datum medicamen haberet. Hic enim cœleſtis medicus in cibo hoc, qui de cœlo deſcendit cœleſtem nobis ſuauiſſimam, & efficaciſſimam medicinam confecit, vt nos ſua ſuauitate inuitaret, & efficacitate ſanaret.

Septimus, vt inter innumeras miſeræ vitæ huius ærumnas, in hoc flebili exilio ſolamen nobis, & ſolatium eſſet, ſpes cœleſtis patriæ, ad quam flentes, & gementes tendimus, hoc nobis gloriæ largitus eſt pignus, quod pretio ſuperat ipſam gloriam.

Octauus, vt fideles omnes, qui vnius corporis membra ſumus, cuius caput eſt Chriſtus hoc Diuino ſacramento operante; quod vocatur communio in fide, ſpe, & charitate vniamur. Cum enim omnes eandem profiteamur fidem, eandem ſpectemus beatitudinem, conſequens eſt, vt in hoc Diuini amoris conuiuio, vinculo perpetuæ charitatis vniamur.

Nonus,

Nonus, quia debita quæ ob noſtra peccata contraximus ſunt infinita, nec vnde ſoluamus, & ſatisfaciamus, habemus; eſt enim creaturarum omnium finita facultas, noſter voluit homines amans Redemptor in hoc amoris conuiuio, conuiuis amatis ſuis pretium elargiri infinitum; quamobrem corpus ſuum, & ſanguinem diuinitati ſuæ nobis donat vnitum. In Deum quippe irrogatis iniuriis ſolùm Dei Filius æqualem poteſt ſatisfactionem præſtare.

Inter hos omnes ad tantum myſterium operandum impulſus, præcipuus amor fuit primum mobile omnium; quod cæteros omnes mouet, quod enim hominis amans Deus in hoc conuiuio Diuini amoris prius intendit illud eſt, vt ſuum erga homines infinitum oſtendat amorem, noſtríque ignem accendat, ignémque igne excitet, & amorem amore. Amor eſt, qui Deum ad tanta officia in noſtram vtilitatem, bonúmque exercenda coëgit. Ad omne id, quod in hominum commodum cedit charitas dilatatur Diuina. O Domine dicit Dauid cum Deo colloquens. *Pſal.* 18. Latum mandatum tuum nimis. Ac ſi diceret; Mandatum tuum extenditur nimis. Quod ergo mandatum eſt hoc, quod tanta dilatatione diffunditur? Secundum Auguſtini mentem Regius Propheta de regio loquitur charitatis mandato. In quo, inquit, ſine anguſtiis vita quóque ambulatur anguſta? Verùm, cùm via ſit anguſta, quomodo poteſt deambulari ſine anguſtiis? Quæ autem arctior via, quam via laborum, Paſſioniſque Chriſti? In quibus dolorum, tormentorúmque pœnis propter amorem hominum non fuit Dei minus gloriæ? Cæterum idem ipſe amor amans eius cor tam magna dilatatione protendit, vt multò plura;

plura, quam paſſus eſt, peroptauerit pati. Itáque charitas eius extenſa fuit ſupra modum, & de ea verum eſt dicere. Latum mandatum tuum nimis. Quæ igitur anguſtia maior ea, quam Filius Dei in hoc ſacramento habet in micis panis in guttis vini; ſed in tanta anguſtia quantum eius ſe extendit charitas? Ibi omnes ſuæ Diuinitatis theſauros hominibus elargitur; ibi ſacræ Paſſionis ſuæ facit memoriale perenne, ibi buccella vnica, quoniam Diuina, fami ſatisfacit cordis humani; ibi homini ad æternitatem viaticum donat, ibi, vt omnes ſuos morbos ſanet ſuauiſſimam, & efficaciſſimam medicinam præbet, ibi ei pignus gloriæ, quod ipſam gloriam pretio excedit, concedit: ibi vinculum, quo per amorem ſe his, qui ſimul cum eo hunc panem manducant, præſtat amoris, ibi aureum numerum infiniti valoris, quo omnia ſua debita ſoluat pauperi debitori tribuit. Ad hæc omnia ſe extendit eius infinita charitas, ad hæc omnia eius infinitus amor, inter panis, & vini accidentium anguſtias in hoc Diuini amoris conuiuio.

Quis ergo ad eos inuitatus à Deo tot, ac tantis non curat potiri theſauris? Quis Dei mirabilium hoc non miratur compendium? hanc non ſtupet memoriam, ad miſeri factam peccatoris illecebris? Quis quæ pro eius amore paſſus eſt Chriſtus, ſi amat, à corde obliuione delebit Diuinum hoc habens memoriale Paſſionis? Quis terrenorum gaudiorum premitur fame, hoc paſtus cibo cœleſti, qui Dei delitiis abundat? Quis, vt iter agat ad cœlum viaticum hoc non curat prouidere cœleſte? Quis omnibus ſuis animi morbis curandis ita ſuauem, ita efficacem medicinam, non adhibet? Quis eſt, qui gloriæ poſſeſſionem deſiderat,

Digitized by Google

deſiderat, & cum gratiarum actione hoc non recipit pignus illius? Quis hoc vinculum, & vnionem amoris, vt cum Deo, & cum proximis propter Deum in charitate vniatur ex toto corde non peroptat habere? Quis ære alieno grauatus, & vnde ſoluat non habens lætus, & gaudens non accipit aureum nummum infiniti valoris? ô Deus homines amans, ô quantum ſe Diuinus tuus amor extendit! ô quot affectus, quot ad ſe rapit diuini impulſus amoris.

FERCVLVM II.

IN MIRIS NATVRÆ OPERIBVS miram Deus oſtendit potentiæ ſuæ magnitudinem.

DIuinæ omnipotentiæ opera alia naturæ, alia ſunt ſupra leges naturæ; omnia verò ab vna manu, & ab vno penicillo. Et quamquam naturæ opera, extrahere ſcilicet à nihili tenebris ad eſſendi lumen ſplendentes cœlorum ſphæras, auream ſolis lampadem ad vniuerſum orbem illuminandum incendere, diem facere, & noctem æternis aſtrorum illuſtrare ſplendoribus, elementa, quæ in illuminato hoc mũdo, quaſi aureæ litteræ ſunt quæ ſuum collaudant authorem mira varietate creare, terram arboribus, plantis, animalibus, brutis, & hominibus, mare piſcibus, aëra auibus, aliíſque mirandis innumeris diuite locupletare manu; affatim Diuinam omnipotentiam declarent in hoc mundi theatro;

Nihilomi-

Digitized by Google

Nihilominus tamen, vt inquit Auguſtinus, ea quotidie videndi conſuetudo debitam abſtulit admirationem, nec vix eſt, qui Diuinæ pulchritudinis ſpeculum, ſolem nimirum, opus excelſi, vas admirabile ſtudioſe intueatur, niſi Ecclypſi obfuſcetur, nec cœlum, niſi quando viderint.

Obliquei per inane faces, crinémque timendi
Syderis, & terris minitantem regna cometen.

Non ita faciunt illi, quibus Deus oculos aperit, vt Diuini opificis mira opera contemplentur, & quos pulchros hos creaturarum characteres immenſi huius vniuerſi voluminis, in quo magnus iugiter legebat Antonius legere docet, vt à naturæ operibus ad gratiæ opera mentem eleuent. Et in hoc altiſſimo myſterio ad noſtræ confirmationem fidei, noſtræque illuminationem mentis, duplici hac luce, rationis ſcilicet, & fidei vtendum eſt nobis, vtráque quippè ſacri ſunt adiuti Doctores Ambroſius. *De ſacram. lib.4. c.4.* hoc efficax argumentum elicit [Conſecratio, inquit, cuius verbis eſt? Domini IESV. Ergo ſermo Chriſti confecit hoc ſacramentum. Quis ſermo Chriſti? nempe is, quo facta ſunt omnia. Iuſſit Dominus, & factum eſt cœlum, iuſſit Dominus, & facta eſt terra; iuſſit Dominus, & facta ſunt maria; iuſſit Dominus & omnis creatura generata eſt. Vides ergo, quam operatorius ſit ſermo Chriſti? Si ergo tanta vis eſt in ſermone Domini IESV vt inciperent eſſe quæ non erant, quanto magis operaturus eſt, vt quæ erant in aliud commutentur. Cœlum non erat, mare non erat; ſed audi dicentem. Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Ex his præmiſſis elicit concluſionem Ambroſius. Ergo tibi, vt reſpondeam, non erat corpus Chriſti ante conſecratio-

nem;

Digitized by Google

nem; ſed poſt conſecrationem dico tibi quod iam corpus eſt Chriſti. Ipſe dixit, & factum eſt, ipſe mandauit, & creatum eſt.]

Quam plures in ipſa natura contemplamur effectus, quorum cauſam ignoramus; fidem tamen oculis damus, quæ mens non capit mirantes. Angelicus Doctor ad altiſſimum hoc exponendum myſterium oui vtitur exemplo, intra cuius putamen albugo eſt, & vitelus ſine vllo motu, nec vita, & poſt paucos dies ſolo auis calore paſſer formatur motum habens, & vitam. Quomodo igitur ex materia illa tot, ac tam varia membra, caput, oculi, roſtrum, alæ, pedes, & reliqua tam breui ſunt ſpatio efformata, iámque intra putamen illud auis eſt ſe mouens, ac viuens? Si hoc numquam vidiſſemus, res nobis videretur incredibilis. Si ergo naturæ authorem ante oculos noſtræ hoc facere quotidie videmus, quid illi oberit ne ſubſtantiam panis in ſui corporis ſubſtantiam commutet, & ſub illis accidentibus albis ad tot diuinos operandos effectus, quos ſupra diximus illud ſacramentatum poſſit imponere, & in alimentum, & illecebras animarum noſtrarum, in ſacrificium, & noſtrorum delictorum ſatisfactionem nobis donare. Concedamus Deo plus facere; quam nos intelligere poſſe; cum ea, quæ quotidie ipſis experimur oculis id nos cogant confiteri.

Ioannes Apoſtolus in Apocalypſi. *c. 5* *Et vidi*, inquit, *in dextera ſedentis ſupra thronum librum ſcriptum intus, & foris, ſignatum ſigillis ſeptem.* Hunc librum grauis quidam ſcriptor. ***Heluu. lib. 7. de ſimilitud. rerum c. 9.*** ait comparari cum hoc venerabili ſacramento poſſe, & ſeptem ſigilla magnis mirandis ſeptem, quæ in eo infinita Dei

operatur

operatur potentia, & vnumquodque mirandum naturali comparatione declarat. Primum eſt, quod panis quoad accidentia remanens, idem in corpus Chriſti mutetur, ſicut cognitio mea, media voce, fit iam audientis, & intelligentis, nec mea deſinit eſſe. Secundum, quod corpus Chriſti proceræ quantitatis ſub vnica lateat mica panis; ſicut in noſtrorum oculorum pupilla paruula, licet magni montis ſpecies recipitur. Tertium, quod totum Chriſti corpus per os vnius hominis ingredi poſſit. Sicut exiuit ex ſepulchro, & ex Virginis vtero; per vnius hominis os ingredi poteſt. Quartum, quod comeſtum non conſumatur, nec diuidatur; ſicut herbæ viriditas in oculis recipitur, quod eſt velut, ſi manducaretur, nec ideo conſumitur, nec diuiditur. Quintum, quod in ſtomachum ingrediens humoribus plenum immundis, nec maculatur, nec inficitur; ſicut ſol ingrediens in loca plena immunditiis, ipſe purus manet, & mundus. Sextum, quod à tot hominibus receptus, & in innumeris mundi plagis conſecratus, nec minuitur, nec creſcit ſemper permanens idem, ſicut lumen candelæ, nec minuitur, nec creſcit, quamuis innumeræ incendantur ab illo. Septimum, quod ſint ibi accidentia ſine proprio ſubiecto, & quantitas ſine propria ſubſtantia. De hoc nullum eſt in naturæ rebus exemplum; Verum Deo concedamus plus poſſe facere, quam nos intelligere.

FERCVLVM III.

FERCVLVM III.

QVANQVAM NATVRÆ MAgnam Dei potentiam oſtendunt, multo magis ea, quæ ſunt ſupra naturam.

NAturæ prætermittentes opera, de quibus magna arcana,& mirabilia referre poſſemus, per ea, quæ ſunt ſupra naturam breuiter diſcurramus, ea reuocantes in memoriam,quæ nobis ſacra pagina refert inter quæ notatu digniora ſunt,quæ per manum magni ſui ſerui, & Prophetæ Moyſis Deus operatus eſt, vt populum ſuum ab Ægypto educeret, & in terram promiſſionis conduceret. Opus Diuinæ omnipotentiæ fuit, eam quippè communicauit illi Deus dicens. *Conſtitui te Deum Pharaonis.* Virgam in ſerpentem conuertere, flumina in ſanguinem, aquam in ranas, puluerem in cinifes, & muſcas, meridianam lucem in denſas tenebras, cum cæteris Ægypti plagis. Res quidem admiratione digna eſſet egregium Ducem illum populi Dei, manu virgam tenentem videre, virgámque arentem ſine ſenſu, ſine motu, ſine vita, & in terram proiectam ſubito illam ſe mouentem ſentientem, & viuentem videre, formámque ſerpentis induentem. Cúmque eam iterum manu caperet ad priſtinam virgæ formam reuerti, & cum illa in numero cernente populo, tot operari prodigia. ***Magna opera Domini,*** Magna ſunt quidem Diuinæ omnipotentiæ opera,& ita magna, vt majora excogitari non poſſe videatur.

Opus

Opus Diuinæ omnipotentiæ fuit, & inter omnia, quæ tam in humanis, quam in Diuinis litteris reperiuntur valde admirabile opus, ipſa eadem virga Moyſem accedere ad rubri littora maris, & cum ſuperbis, tumentibúſque vndis populi Dei tranſitum impediebat, illud flagellare, cogeréque, vt manſuetum, & humile ſe ad interiora reciperet, calléſque efformaret (non ea ex chryſtallo; ſed ex rubino appellemus, cum ſint rubri maris) tellúſque floridis exornaret auleis, vt flores contereus populus ſicco pede tranſiret. O magna illius potentia Regis, cui mare obediunt, & venti, talémque poteſtatem dedit hominibus, iubens, vt omnia ſeruiant his, qui omnium Domino ſeruiunt! Qui ſe hoſtibus ſuis circumdatum videat, videat ne animo decidat, qui ſe vndis laborum, & tribulationum ſubmerſum inueniat, ad Deum veniat, & fidens imploret eum, vt ſibi opportunè ſubueniat, ne ſpem amittat, ne animo cadat, quia caſus ille maius erit periculum eius. In illum Dominum ſpem ſuam ponat, qui legem poteſt imponere aridæ arenæ vt reuireſcat, & conuertatur in flores, eique ſit mare pro muro.

Opus etiam magnum Diuinæ omnipotentiæ fuit, quod per ipſum Moyſem Deus operatus eſt, cum tam aqua ad bibendum, quam patientia ad laborem illum ſufferendum populo defecit, & ille querelas Moyſi, & Moyſes Deo clamores dabat, vt magnæ illi ſubueniret ærumnæ, Deóque iubente virgam manu cæpit, & ad ſiccam, ſterilémque rupem accedens his durum ſilicem percuſſit, cúmque percuſſus (ſpectata illius natura) ignis ſcintillas dare deberet, puriſſimæ, dulciſſimæque aquæ fontes dedit, mel, vt ipſe inquit ſacer textus, de petra, & oleum de ſaxo duriſſimo, quo populus ſitiens

ſi iens refrigerium, & ſiccæ arenæ fertilitatem h.buere. Et ſaxum ipſum (vt ait Apoſtolus Paulus. *Conſequente eos petr.ı*) ac ſi virga, & motum, ei & vitam præberet, populum comitata fuit, illum ſequens, Deóque obſequens, ne in arenti illo deſerto, hoc à populo illo refrigerium deſideraretur, & leuamen. Quam dignum eſſet viſu ſpectaculum, rupem immenſam, quaſi ſaxeum gigantem ſeipſum mouentem, & cum innumero exercitu procedentem per ſterilem eremum illum aquæ riuos effundentem. Verè quidem magna ſunt Diuinæ opera omnipotentiæ.

Si magnam brachij ſui hunc populum potans potentiam Deus oſtendit, non minus eam manifeſtauit paſcens illum. Magna quidem potentia fuit tot hominum extinguere ſitim; ſed non minor ſedare famem. Deficiente alimento, ſimul etiam patientia defecit ad Moyſem accurrunt, & ille ad Deum, & Deus Angelis ſuis, vt hominibus panem conficiant, præcepit, &, vt augeretur mirandum in media aëris regione frigidiſſima furnum conſtruunt, & in frigidiſſimo furno ipſimet angeli; ideò enim panis angelorum vocatur, præcoquunt ſuauiſſimum panem, qui quotidie ſuper terræ menſam è cœlo cadebat pura, & candida, quaſi candidis mappis pruina coopertum. Opus nimirum, in quo ſuam altiſſimus potentiam oſtendit.

Cæterum non ſolum Deus in paſcendo populo; ſed etiam in liberando ab hoſtibus ſuis potentiæ ſuæ magnitudinem patefecit. Quamobrem magna fuit operatus prodigia, inter quæ, vt multa alia prætermittam, plus lucet ſolis prodigium: cùm ſtrenui Ducis Ioſue voci, & orationi obediuit. Bellum aduerſus Amorrheos gerebat magnus hic

hic Dux, perſequénſque eos perfectam conſequi victoriam non poterat ob lucis, non virtutis defectum aduesperaſcente iam die, oculos in cœlum leuauit à cœli Domino auxilium implorans, & magnæ fidei confortatus virtute, quæ magna ſæpè operatur ſoli dixit. Sol ne mouearis contra Gabaon, & obediuit ſol voci hominis, curſú n-que frænauit, & quaſi famulus, qui facem portat accenſamillluminans ſtetit, donec perfectam ab hoſtibus ſuis comparauit victoriam. Dubius hæreo quid plus admirer vtrum hominis fidem, qui in terra degens, mortaliſque dominetur in cœlo planetæ immortali, vtrum orationis virtutem, quæ frænare poteſt non iam equi præpetem curſum, vel violentum molæ motum; ſed curſum ſolis æternum, obediente Deo voce homini, vt pagina ſacra teſtatur. O magna potentia Dei: ô magna orationis virtus. Omnia illi obediunt, qui omnium Domino obedit.

FERCVLVM IV.

QVANQVAM DIVINÆ OMNIpotentiæ magna ſunt opera, multo maiora ſunt, quæ in hoc Diuino ſacramento operatur Diuinus amor.

MAgna quidem, vt vidimus Diuinæ omnipotentiæ ſunt opera, verùm Diuini amoris magis exquiſita ſunt, & magis rara. De vtriſque regius locutus vates dixit. Magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius. Omnipotentiæ opera

opera magna appellat, amoris autem exquiſita. Et licet verum ſit, quod in Deo omnia attributa illius æqualia ſunt, in exteriori tamen illarum oſtenſione, quæ Theologus vocat, opera ad extra, plus de aliis, quàm de aliis gloriatur, plus alia, quàm alia hominibus manifeſtat, & ſunt, quaſi dextera Dei. In hoc ſenſu Rex Propheta dixit. Et miſericordiæ eius ſuper omnia opera eius, in illóque dicimus Diuini amoris opera prædictis omnibus Diuinæ omnipotentiæ operibus excellere. Et idcirco à Propheta exquiſita vocantur. Quod verò in his vltimis verbis de Diuini amoris loquatur operibus, ex ipſis conſtat. Itáque dicit. *Exquiſita in omnes voluntates eius.* Exquiſita, id-eſt ſpeciali cura quæſita, vt ſe omni amoris genere hominem oſtendat amare. Id ſonant illa verba. *Exquiſita in omnes voluntates eius*, in omnes ſcilicet amores eius. In ipſo enim Hiſpano idiomate dicimus. Tiene le mucha voluntad, eſto es mucho amor. Eſt etiam modus dicendi ſacris litteris valdè familiaris. Malachiæ 10. loquens Deus cum ingrato populo ſuo ait. *Voluntas mea non eſt in vobis*, id eſt amor meus non eſt in vobis. Et in Prouerb. *c.* 11. *Abominabile eſt Domino cor prauum, & voluntas eius in his; qui ſimpliciter ambulabant.* Voluntas eius pro amore accipitur. Et in Iſai. de gentium Eccleſia loquens dixit. *Et vocaberis voluntas mea in ea*, amor ſcilicet meus.

Inter omnia, quæ operatus eſt Deus, vt ſuum hominibus manifeſtet amorem, & quod eós amat omni genere amoris, princeps, & excellentiſſimum opus eſt hoc conuiuium Diuini amoris, de quo in his verbis loquitur Propheta Rex, vt ſacri interpretes communiter ſentiunt. Vt autem nobis ſignificaret quod Filius Dei in hoc Diuino Sacramento

mento palam fecerat ſe nos omni genere amoris amare, non dixit ſolum exquiſita *in voluntates eius*; ſed in *omnes voluntates eius.* Patefecit igitur Deus in hoc conuiuio Diuini amoris ſe nos amare omni genere amoris. Diligit nos, vt amicos; diligit, vt conſanguineos; diligit, vt fratres; diligit, ſicut pater filium, vt mater filiolum, quem ad vbera portat; & tandem, vt ſponſus ſponſam diligit. Sicut amicus amicis dicit. Bibite amici, & inebriamini chariſſimi. Ad Euchariſtiam accedentes, tanquam amicos inuitat, vt ſanguinem eius bibant, & inebrientur tam pretioſo liquore. Sicut conſanguineos, quia, vt ſancti dicunt, qui corpus Chriſti recipit conſanguineus fit Chriſti, conſanguinitas enim nihil aliud eſt, quam communicatio ſanguinum, & ei, qui communicat Chriſti ſanguis communicatur, Sicut fratres, quoniam hoc ſacramento filij Dei fiunt, hic enim filiorum eſt panis, cúmque filij adoptiui Dei ſint, fratres ſunt Chriſti. Ita numcupantur à Chriſto Mathei 28. *Dicite fratribus meis.* Sicut filios, quomodo miſeretur mater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe: & velut filios amans pater panem eis elargitur, cum petunt dicentes. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Sicut pia, & benefica mater eos ad vbera portat ſecundum illud: *Pſal.* 102. *Ad vbera mea parabimini.* Duo hæc vbera panis, & vini accidentia ſunt. Diligit deníque eos, vt ſponſus. Medio quippè hoc ſacramento caſtiſſimum hoc cum anima tanquam cum dilecta ſponſa Chriſtus Rex Regum, & Dominus Dominantium matrimonium conſummat, non ſolum affectu; ſed reali effectu ſe vniens cum corpore, & anima communicantis. [Vt itáque, inquit D. Chryſo.

ſtomus non tantùm per charitatem hoc ſiamus; verum etiam ipſa re in illam miſceamur carnem.] ideo enim communio vocatur. *Erunt duo in carne vna ſacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia.*

Verùm, ſi Chriſtus, vt verus nos amat amicus, cur veræ frangimus leges amicitiæ? Si, vt conſanguineos, ne degenere crimine regium ſanguinem deturpemus, vitiorum vilitatem fugiamus, & vitam regio ſanguine dignam agamus. Si, vt fratres nos diligit, ne Caïnum imitemur, nec Ioſephi fratres, qui fratrem ſuum vendiderunt. Si nos, ſicut pater amat, dignos geramus mores filiorum Dei, & vt filij Altiſſimi mundi contemptibilia contemnamus. Si, vt pia, & benigna mater, pietate, & benignitate eius ne abutamur, ſi demum nos teneré amans ſponſus eſt & nos fideliter diligit, fideles ei inueniamur.

Cæterum, vt ad noſtrum præcipuum aſſumptum redeamus. In hoc Diuini amoris conuiuio, quod, vt diximus omnigeni amoris probatio eſt; Diuinæ omnipotentiæ operibus Diuini amoris opera maximè excellunt. Breuiter diſcurramus, inueniemúſque, vt doctiſſimus noſter inquit Lorinus. [Quantas & qualia reſplendeant in vno Euchariſtiæ opere, Diuinæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis opera.] Hoc proculdubio cætera longè excellit. Cætera opera Dei, quamquam magna, fieri poſſent maiora; Verùm opus hoc, in quo omnigeni amoris ſui omnes ſuas Deus nobis opes oſtendit, vltimum fecit, quod potuit, vltimum potentiæ attigit terminum; idcirco hæc opera Dei vocat exquiſita Propheta, & Euangeliſta exceſſum. *Loquebantur de exceſſu.* Hic fuit amoris exceſſus, de quo Moyſes, & Elias colloquebantur

cum

cum Chriſto. Se ſinere Chriſtum, vt frumenti granum conteri flagellis, & alapis, tótque preſſuris vſque ad mortem in Cruce. Quis poterit excogitari maior exceſſus amoris. Hunc nobis diſcipulus ille, quem diligebat IESVS dilectionis declarat exceſſum dicens. *In finem dilexit eos*; ac ſi diceret lapidem amor quantum potuit fecit. Quid enim maius, quàm ſe in pane tradere, Deo reſtat agendum. Omnia opera, quæ ſupra in ferculo antecedenti diximus, in quibus Diuina omnipotentia oſtenditur ab hoc ſolo Diuini amoris opere longè ſuperantur.

Opus, vt diximus magnum fuit Diuinæ omnipotentiæ virgam in ſerpentem conuertere; multò tamen mirabilior eſt in hoc cœleſti cibo à Diuino amore facta conuerſio. In virga enim illa remanſit eadem materia; ſolúmque mutata fuit forma; verum in hac mirabili conuerſione, materia, nec forma remanet panis; ſed accidentia tantum, commutantur enim in corpus, & ſanguinem Chriſti, & quamquàm panis appareat; non ſunt tamen, niſi ſola accidentia panis. Quod maius poteſt eſſe prodigium, quod exquiſitius miraculum, quod mirabilius ſignum? Si arida virga illa ſine ſenſu, ſine motu, ſine vita ſentiebat, mouebatur, viuebat. Hic loco panis qui ſenſu, motu, & vita carebat corpus Chriſti ponitur viuum, integrum, & ita glorioſum, ſicuti eſt in cœlo. Serpens ille ſolum in loco illo præſens erat, in quo illud operatum eſt mirandum; Verùm Chriſti corpus per hanc Diuinam conuerſionem omnibus mundi altaribus, in quibus legitimus ſacerdos conſecrationis operatoria verba pronunciat, præſens fit. Illius ſerpentis animæ, vt diuiſibilis formæ, pars in parte corporis, &

Digitized by Google

toto corpore erat. Hîc veiò totum Chriſti corpus integrum eſt in minima hoſtiæ particula, dummodo ſenſibilis ſit. Quæ poſſunt maiora excogitari prodigia. Diuinæ ergo omnipotentiæ opera à Diuini amoris operibus in hoc conuiuio haud dubium eſt ſuperari.

Magnum etiam opus Diuinæ omnipotentiæ fuit mare diuidere, & ſuper floridis ſtragulis viam populo aperire gradienti. D. Hieronymus in rubro mari ſignificari, inquit, ſanguinem Chriſti, qui nobis in Euchariſtia propinatur; ille quippè viam nobis ad vitam æternam aperit; via autem florida eſt Chriſtus, ſimul quippè flos eſt, & via, *Via, veritas, & vita, & campi flos, & lilium conuallium*, quo animæ fidelium paſcuntur. Diuini huius virtus ſacramenti noſtras manſuefacit paſſiones, ſicut virgæ virtus fluctus maris, ne nobis obſiſtant iter in cælum agentibus veram promiſſionis terram. Quod ſi aquæ illæ Hebræis vitam contulerunt, Ægyptiis abſtulerunt: Hoc admirabile ſacramentum mors eſt malis, vita bonis. Nemo igitur in cœli itinere animo cadat etiam ſi montes ſe illi difficultatum opponant, etiam ſi ab inimicis ſuis, & ab Inferno toto perſequantur; in hoc & enim Venerabili ſacramento virtus ineſt, qua ab omni eripiatur malo, opera quippè, quæ in eo operatus eſt diuinus amor omnibus Dei operibus valdè excellunt.

Si veiò magnum Diuinæ omnipotentiæ opus fuit, quod duræ rupis ſilex virga percuſſus pro ignis ſcintillis riuos aquarum effunderet. In hoc ſacramento mirabili Chriſtus eſt, qui petra vocatur. *Petra autem erat Chriſtus*; in qua fons eſt mirabilior, ſi enim ita dulces, ita ſalutares illa protulit aquas vt à ſacra pagina mel appellentur,

& oleum. *Mel de petra, & oleum de ſaxo duriſſimo.* Mel propter magnam dulcedinem, oleum, quia dabant ſalutem. Huic Diuino ſacramento hæc eadem verba à fidelium Eccleſia apponuntur, vocatúrque *mel de petra ſuauiſſimum, & oleum de ſaxo duriſſimo.* Hic igitur eſt fons omnium, qui in vniuerſi orbe ſunt, mirabiliſſimus, fons quippè eſt mellis, & olei, fons ſalutis, & vitæ, *Quoniam apud te eſt fons vitæ*, fons lucis, fons ſolis iuſtitiæ Chriſti, fons clauſus, fónſque ſignatus, in quo non ſolùm diuinitas Chriſti; ſed etiam humanitas latet. Sic IESV nomine, vel imagine Chriſti hoſtias ſignatas videmus. Hic fons eſt plenus Hyacintis theſauris ſcilicet, diuitiiſque cœleſtibus. Hic ſunt non iam Diui Iſidori fons, aut D. Pauli; ſed ſalubriores Saluatoris fontes. Hic eſt Diuini amoris fons. De quodam dicitur fonte, quod pro aqua ex ea ignis erumpit, & quæ ſcaturit aqua flammis ignis eſt plena; Hic Diuinus fons eſt, ex quo Diuini amoris iugiter ignis emanat. De alio refertur, quod ſi in eum fax immittatur extincta, accenſa prodit, & lucens. Ex Angelici Doctoris ſententia necnon ex mente Auguſtini (quod non paruum eſt animarum ſolatium) poteſt aliquando contingere, quod homo quidem ad Euchariſtiam recipiendam in peccato mortuus accedat, & ſine gratiæ lumine, bona tamen fide ſe viuum gratiæ vita exiſtimans, hic primam gratiam recipiat, & à menſa ſurgat altaris vitam habens, & lucem. O virtus ſacramenti admirabilis! ô ſingulare Dei beneficium! ô fons Diuinæ virtutis! Chriſtiane ad hunc fontem accede, vt cœleſtibus fruaris theſauris, & terrenorum ſitim extinguas. Si ſitis bona terreſtria, hic inuenies cœleſtia, ſi delitias carnis immundas cra-

Digitized by Google

in vermes, & terram vertendæ; hic ſpiritualis dulcedinis proprium fontem inuenies, ſi fallaces concupiſcis honores; hic veros, & Diuinos reperies, ad altiorem, ad quam homo euehi poteſt dignitatem euectus, ad vnionem videlicet cum ipſo Dei filio. Ergo iure dicimus maxima eſſe Diuini opera amoris.

Negare nullatenus poſſumus magnum fuiſſe Diuinæ omnipotentiæ opus, quod Hebræus populus ſine terræ cultura, ſine ſparſo ſemine panem colligat, & cœleſti cibo paſcatur, & panem Angelorum homo manducet. Verùm multò maius, multò excellentius eſt Diuini opus amoris, quod Chriſtus Dominus diuino hoc pane ſuam alat Eccleſiam. Quærit D. Ambroſius, quarè, cum Deus ita ſingulare Hebræis beneficium contulerit, cœleſtem cibum Manna de cœlo præbendo, fidelibus ſuis in lege gratiæ, hanc non fecerit gratiam manna de cœlo emittendo; Quod nobis plus deberi videtur, lex enim illa ſeruorum erat, hæc filiorum eſt; illa vmbra; hæc veritas? Reſpondet S. Doctor. Noſtris locum nullum eſſe querelis, melius quippè nobis manna de cœlo donatur. *Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit.* Audiamus Ambroſium. [Imò quotidiè, inquit, pluit manna de cœlo panis cœleſtis corpus è Virgine, quod qui manducauerit, viuet in æternum.] Non igitur quarè queramur habemus; multò enim melius, quàm Hebræis manna nobis de cœlo aſcendit. Si illud in media formabatur regione aëris; hoc in puriſſimo Virginis ventre, ſi illud miniſterio angelorum; Hoc Spiritu Sancto operante; illud corpus corruptibile alebat, hoc animas immortales, illud temporalem, hoc præbet vitam æternam. Quòd ſi illud (vt ſimilitudo hæc ſpiri-

tuali vtilitati deſeruiat.) Non ſuper nudam tellurem; ſed ſuper puram, & candidam pruinam, ne macularetur cadebat, ne ſaltem tenui fœdaretur puluere terræ. Quamobrem poſtea præcepit Deus in aurea, & puriſſima vrna ſeruari. Quanto æquius iuſtiúſque erit, quòd hoc manna cœleſte puro in corpore recipiatur, & anima. Manna in vtero ſolis radiis puriore formatum, in cordibus ſolis radiis purioribus opus eſt, vt accipiatur. Hoc nos docet Chryſoſtomus dicens: [Quo non oportet eſſe puriorem, tali fruentem ſacrificio, quo Solari radio non ſplendidiorem manum carnem hanc diuidentem.

Magnum deníque Diuinæ omnipotentiæ opus fuit, nec poteſt ſine magna admiratione meditari. Quòd mortalis homo in terra degens dominetur ſyderibus cœli, & ipſi ſyderum principi ſoli, curſúmque eius contineat, & velociſſimum motum refrænet, & ſol illi ſupplex obediat. Eſſet tamen maius prodigium, ſi non ſolum curſum eius frænaret; ſed ad manus ſuas faceret ſolem ipſum deſcendere, illúmque in vitrea clauderet ſphæra. Hoc prodigium ſtupendum eſt, quod quilibet Sacerdos legitimus, cùm Chriſti corpus conſecrat, operatur. Ipſe Deus verbis eius obedit, ſol iuſtitiæ Chriſtus ad illius manus deſcendit, & ſacerdos illum in vitrea claudit cuſtodia, ita integrum, ita glorioſum, ſicut regnat in cœlo. O Diuini amoris mira poteſtas! ô ſtupendum prodigium! ô amoris inauditum exceſſum! ô nouiſſimum, & maximum opus inter omnia, quæ fecit Deus, vel mundus audiuit! Verùm ô magna humani cordis tepiditas, quòd ſolem ità propinquum habens, calore non feruear. Quò poteſt Diuina bonitas progredi vlteriùs, quo humana

ingratitudo? Deus hominis incenſus amore, homo in Dei tepeſcit amore? Sol Chriſtus in vitrea pyxide ſe totum abſcondit, vt ſuum homini oſtendat infinitum ignem amoris, & homo, vt in peccatis ſuis iaceat ſubmerſus, magnum hoc paruifacit beneficium. O cœcitas magna!

Non ita Chriſtiane, Chriſti beneficium agnoſce, domum æſtima, & tam ſingulari te gratum præbe fauori, & cum Deus te tanta largitate amat, ne tu parcè diligas! Reſpice mirabilia, attende prodigia, quæ, vt te paſcat, vt te alat, vt tibi indulgeat, vt te alliciat ipſe Deus operatur. Amor amore rependitur, nec minori poteſt pretio ſolui. Quid facis, ſi illius præ amore non deficis, qui tanta pro te amando prodigia fecit. Si Chriſtus panem ſine vita, ſine motu, ſine ſenſu in corpus ſuum viuum, integrum, & glorioſum conuertit, conuerte te ipſum de tepido in feruidum, de deſide in diligentem, de peccatore in Sanctum, huius Diuini ſacramenti virtute. Si Deus tibi aperit viam cœleſtium gaudiorum floribus plenam, & ad patriam cœli recuſam, iter agere conare per illum fructus veræ pœnitentiæ, & ſanctorum operum referens. Si in petra Chriſto vitæ fontes Diuinus elicit amor, rabidam ſitim terrenorum bonorum in eis extingue, & cœleſtia numquam peritura require. Si humanarum delitiarum pateris famem, & ad cœleſtem panem edendum, manna ſcilicet deſcendentem de cœlo, in quo ſunt omnium ſuauitatum ſapores, & veræ delitiæ te Chriſtus inuitat obliuiſcere cepas Ægypti, & demum, cum iuxta te ſolem habeas frigidum cor tuum diuini amoris igne calidum redde. Et cœleſtem cibum, vt cum vtilitate recipias audi Diui Ambroſij conſilium. *In Orat. ante*

Nati.

Nati. [Quanta enim cordis contritione, & lachrymarum fonte, quanta reuerentia, & tremore, quanta corporis caſtitate, atque animi puritate illud diuinum cœleſte myſterium eſt celebrandum Domine Deus, vbi caro tua, in veritate ſumitur, vbi ſanguis tuus in veritate bibitur, vbi ſummis ima, humanis diuina iunguntur.] Hæc Ambroſius, ac ſi diceret. Vera contritione noſtra purificemus corda, lachrymis illa mundemus, vt cœli manna recipiamus, & ad ſuſcipiendum Dominum ita potentem, vt tam magna mirabilia operetur cum reuerentia, & timore accedamus, &, vt Virgineum corpus Diuini ſpiritus virtute formatum in Virginis vtero ſolis radiis puriore cum magna corporis puritate accedamus. Recipiamus etiam illud magna animæ puritate, cum cœlo ſit purius. Accedamus cœleſtem ad menſam non, vt Seraphini, vel Cherubini; ſed, vt Chriſti carnes edamus, non nectareas Deorum potiones; ſed, vt Filij Dei ſanguinem bibamus, hoc quippè cœleſti cibo nil maius, quod optemus, nil vltrà, quod petamus, nec maiora bona, quæ poſſidere poſſimus, habemus. O cœleſte alimentum, in quo panis in Chriſtum, & homo in Deum conuertitur! ó virga Moyſis mirabilis, quæ mare paſſionum manſuefacis, & nos ad cœlum ducis per floridam viam! ô fons diuitiarum Dei, fons Hyacintis plene cœleſtium deſideriorum! ô Diuinum manna, ô Angelorum panis, & delitiæ hominum, & maiores, pretioſioréſque Diuinæ menſæ illecebræ! ô ſol in nubibus accidentium latens! ô ſol in vitrea pyxide clauſe, vt plus nobis ignem tui amoris oſtendas! ô ſol iuſtitiæ, ô amoris ſol, illumina, purifica, diuitiis reple, & cor noſtrum incende ſol Diuine, cuius

radij puritas, cuius pulchritudo ſummum, quod Deus habet, cuius ignis amor, cuius lux eſt gratia, & cuius clara viſio conſummata eſt gloria.

LECTORI LEVAMEN, muſica conuiuij.

IN hiſtoria Societatis IESV 1. *p.lib.2.n.*27. refertur, quod cùm in quodam Italiæ populo Sacerdos quidam tenui apparatu, & paruo comitatu viaticum corporis Chriſti ægroto portaret, qui in agro erat, obuium iumentorum gregem extra populum habuit, quæ quaſi quis eſſet Dominus in manibus Sacerdotis portatus, agnoſcerent in acies duas diuiſa creatorem ſuum adorantes genua flexerunt. Nouitate euentus Sacerdos ſtupore correptus per medium illorum cum ſolo puero, qui eum comitabatur, tranſiuit. Móxque ſurrexerunt iumenta, & comitata ſunt Dominum vſque ad domum ægroti, ibíque expectauerunt ad ianuam, dum miniſterium ſuum Sacerdos obiſſat, nec inde reuerſa ſunt, donec exiens ab infirmo Sacerdos illis impertitus eſt benedictionem. Hoc prodigium, cùm Sacerdos ad populum peruenit, promulgauit, cúmque multorum teſtimonio teſtium fuiſſet comprobatum, Sanctiſſimi Sacramenti confraternitatem vicini inſtituerunt.

ALIVD ENARRATVR mirandum.

ARchiepiſcopus quidam F. Iacobus Blidimir. 203. vti ocularis teſtis ſequentem narrat euentum.

euentum. Cum Sacerdos quidam Chriſti corpus portaret ægroto, & propter multum lutum, quod erat in via longis ſe ſoccis calceauit, & cum illis in profundiorem luti partem cecidit, & in medium luti conſecrata concidit forma. Surrexit afflictus triſtem ſuam vicem deplorans, & cum eam quæſiuiſſet, eam reperire non potuit, conuenerunt multi alij, nec inuenire potuerunt. Deſolatus deníque Sacerdos ſe in lutum proijciens eleuatis manibus dixit. O bone IESV parce mihi hanc noxam; ego tibi votum facio me ex hoc luto non ſurrecturum vſque te mihi exhibeas videndum. Egoque te inueniam. His dictis omnes, qui ibi aderant pulcherrimam herbam ex luto prodeuntem viderunt, ex qua ſpecioſiſſimus, ſuauiſſimíque odoris flos ortus eſt, inter cuius folia conſecrata forma munda, & integra, & ſine luti macula iacebat. Quod prodigium admirantes omnes immenſas prodigiorum operatori gratias egerunt.

DE SVPPLICIO NOTABILI, QVO ab equite, qui mala diſpoſitione ad Euchariſtiam acceſſit, & eam ſumpſit, Deus pœnas ſumpſit.

IN Reſurrectionis Paſchate illuſtris quidam eques (vt habet Tilmanus Breden. *lib.* 1. *collat. Sacr. c.* 55. & P. Fay. *Pal.* 112.) à Parocho ſuo petiit, vt maiorem, quam aliis ſæcularibus ſibi communicaturo hoſtiam miniſtraret. Parochus humano victus timore iniuſtæ petitioni annuit. Cùm tamen ſacram hoſtiam in equitis lingua poſuit ſubitò terra dehiſcens eum quaſi deuoratura

comminabatur, & reipſa vſque ad genua abſorptus eſt. Cúmque infelix ille in tanto diſcrimine ſe protegere volens altaris apprehendiſſet manibus gradum, qui quaſi cereus eſſet ita mollis factus remanſit, vt manus ingrederentur per eum. Quos ambitio, & præſumptio clauſerat oculos pœnæ timor aperuit, culpam plorauit, & veniam implorauit. Nihilominus tamen ſacram hoſtiam tranſglutire non valuit, quam ob rem illam capiens Sacerdos in ſacrario repoſuit, vbi, ſicut Telman Bridembachius grauis author affirmat vſque hodie ſeruatur, quam ipſe vidit, & equitis illius ſigna manuum, quæ remanſerant tetigit. Et fouea, in quam ſubmerſus fuit ferrea rete cooperta manet. Hoſtia ſanguineum colorem habet. Et ab illo vſque ad præſens tempus prædictus author affirmat multa ibi à Deo operari miranda.

Terra voluit vindictam ſumere de iniuria facta contra Dominum cœli. Non protexit altare eum, qui contra altare peccauit, & certum ſe reddere ahenum fuit ſe oſtendere. Verùm pœnitentiæ virtus æreum Diuinæ iuſtitiæ rigorem in ceram pietatis, & miſericordiæ conuertit.

FERCVLVM V.

AMARE, ET NON INSANIRE, nec facere exceſſus amoris vix ipſe Deo conceditur.

QVidquid in conuiuio paratur, vt guſtui, delitiis, illecebris, requiei, & gaudio conuiuarum deſeruiat; comparatur. Omnibus ſenſibus obiecta

obiecta grata, & placentia Dominus conuiuij exhibere procurat, oculis vaſa aurea, & argentea, vitreos cyphos Venetos magno pretio comparatos; auribus citharœdorum, & muſicorum ſuauiſſimam harmoniam, & concentus, qui humanis vocibus imitantur angelicas; naribus fragrantiſſima thymiamata, guſtui ſapidiſſimos cibos, potiones, & pretioſiſſima fercula, tactui mollia ſedilia, & ſericos lectulos, & culcitras plumis confectas. Deníque ſpeciale ſtudium fit, ne quid conuiuis faſtidium generet, imò, vt omnia grata, & placentia ſint. Cur igitur in hoc Diuini amoris conuiuio quod fidelibus Chriſtus parat, eos admonet, vt rem ita triſtem, ita amaram, ſuam nimirum Paſſionem, & mortem reuocent in memoriam. Hæc, inquit, quotieſcúmque feceritis in mei memoriam facietis. Quod idem fuit ac dicere, ſicut ſacri interpretes exponunt, mementote meæ Paſſionis, & mortis. Et Sanctum Tridentinum concilium, *Seſſ. 12. c. 2.* vt ſupra diximus. *In illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit, ſuámque annunciare mortem.* Quare ergo in conuiuio, vbi omnia debent eſſe læta, placida, Paſſionis, flagellorum, iniuriarum, dolorum, Crucis, & mortis mentio fit? Quo modo res ita contrariæ conueniunt inter ſe? Eſt hoc conuiuium more cœli, ſuauius, pretioſiúſque Chriſto ferculum eſt multa, quæ pro hominum amore paſſus eſt meminiſſe, eíque, qui verè Chriſtum amat id debet eſſe ſuauius, pretioſiúſque ferculum. Propterea cum Chriſtus Dominus plus dilectis diſcipulis Petro, Ioanni, & Iacobo gloriæ ſuæ, quaſi ſtillam oſtendit, mox cum Moyſe, & Elia ſermonem habuit de Paſſionis exceſſu, quem completurus erat in Ieruſalem, gloria quippè eius

maior

maior eſt tales operari amoris exceſſus. Et quamquam gentibus fide egentibus ſtultitia eſt, & ſcandalum Iudæis, exceſſus tamen amoris ſunt, quia amare, & non inſanire, nec facere exceſſus amoris vix ipſi Deo conceditur.

Inter maiora extrema, & exceſſus amoris, quos Deus propter homines fecit ſuauiſſimæ teneritudinis, & tenerrimæ deuotionis fuit puerum fieri, & filium hominis filium Dei, infantémque naſci ex Virginis vtero, vbera fœminæ ſugere, & ex illis exilem, & faſciis ligatum pendere ſicut reliqui infantes. Non eſſet Deo difficile pulcherrimum, perfectiſſimúmque perfecti viri, perfecta in ætate corpus humanum creare, ſicut Adami corpus creauit, & ſe cum illo hypoſtaticè vnire, tot, quæ pueri patiuntur, & Deo indigna videntur, in ſua infinita excuſans maieſtate. Quod naſcatur nudus, qui agros floribus veſtit, plumis aues, pellibus pecora, luce ſolem, & ſydera? Quod qui tribus digitis orbem portat vniuerſum, Virginis portetur in vlnis, & qui ſoli radios lucis tribuit, lactis radiis à fœmina alatur, quod manus, quibus fabricatum eſt cœlum paruulis ligentur faſciis; Quod tremat ob frigus, qui infinito ſui amoris igne Seraphinos incendit. Quod ploret qui lætificat, beatóſque facit omnes cœli ciues, & ad hæc omnia hominum amor Deum omnipotentem obſtringat, & cogat, quæ maiora extrema, qui maiores excogitari poſſunt exceſſus amoris? Nihilominus tamen in hoc Diuini amoris conuiuio ſeipſum exceſſiſſe Filium Dei, & ſuperaſſe videtur.

Si ibi alitur lacte, hic totus in lac, & teneritudinem, dulcedinémque amoris conuertitur, vt ſuos conuiuas in hoc Diuini conuiuio amoris alat.

Si

Si ibi à Virginis pendebat vberibus, hic à voluntate ſacerdotis, qui eum conſecrare voluerit: Si ibi inter pannos, & faſcias; hic inter panis, & vini accidentia. Si in præſepio natus eſt nudus; hîc noſtris oculis omni ſua maieſtate nudatus apparet, nullo indumento alio, niſi panis, & vini ſpeciebus. Ibi pueri formam habebat paruulam licet, ætati illi proportionatam. Hic, cum iam vir ætatis perfectæ ſit ad multo minorem ſe quantitatem coanguſtat; ibi in præſepio iacebat, mundo tamen ob Ioſephi induſtriam; hic ſæpè in corde vitiis, & peccatis immundo. Ibi paſtores, & Reges in terram proſtrati adorauerunt eum in glorioſiſſimæ Virginis vlnis portatum, & maius, quod eis concederetur beneficium, ſolum eſſet ſacros pueri pedes oſculari. Hic in Sacerdotis manibus interdum miſerabilioris peccatoris, his, qui in cœleſtem panem recipiendum accedunt, concedit eis non ſolum oſculari pedes; verum etiam eorum viſcera ingreditur, nec ingredi interius poteſt. Quæ igitur eſſe poſſunt maiora extrema, & exceſſus amoris? Quis igitur infinitam Dei maieſtatem ad talia extrema, ad tales exceſſus amoris potuit obſtringere? Quis, niſi amor? amare quippè, & non inſanire, nec facere exceſſus amoris vix ipſi Deo conceditur.

Inueniemus veritatem hanc in Rege Dauid figuratam. *Reg.2.c.6.* Fuerat arca teſtamenti in domo Obededon, quaſi in depoſito, & propter illam repleuit eum Deus tam temporalibus, quam ſpiritualibus benedictionibus, agris eius fertilitatem, prædiis fructuum abundantiam, pecoribus fœcunditatem, & filiis eius præbens ſalutem, & proſperitatem. Sic Deus ſibi ſeruientibus, ſe honorantibus præmia confert. Æmulatus Dauid

Obededonis

Obededonis fœlicitatem, arcam Dei in domum ſuam afferre decreuit, quapropter feſtiuitatem magnam, ſolemnémque præparauit proceſſionem, in qua candidam veſtem indutus cytharam percutiens coram arca Domini magno feruore ſaltabat. *Et Dauid* (verba ſunt ſacri textus) *percutiebat in organis armigatis, & ſaltabat totis viribus ante Dominum.* Porrò Dauid erat accinctus ephod lineo, & Dauid, & omnis domus Iſraël ducebant arcam teſtamenti Domini in iubilo, & in clangore buccinæ. Cernebat tunc ex feneſtra palatij ſui Michol filia Saul proceſſionem, & videns maritum ſuum Dauid ludentem, & ſaltantem ante arcam Domini ſpreuit eum in corde ſuo. Finita verò feſti ſolemnitate redeunte Dauid in domum ſuam obuiam ei venit Michol, cúmque ſpernens dixit. *Quam glorioſus fuit hodie Rex Iſraël diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum & nudatus eſt, quaſi nudatur vnus de ſcurris.* Stultitia eſt ante oculos mundi, quod ante oculos Dei ſumma ſapientia eſt. Audiamus reſponſum Dauid. *Et ludam & vilior fiam plus quàm factus ſum, & ero humilis in oculis meis.* Ac ſi diceret. Non mihi probro eſt, nulla in hoc meæ dignitati labes, nulla infertur infamia, nullum eſſe, & ſaltare coram Domino nulla mihi ignominia eſt, contemni, & pro nihilo reputari pro Domino nullum mihi dedecus eſt, imo dignitas, honor, & gloria, vellémque contemptibiliorem, viliorémque humano conſpectui apparere, vt placerem Diuino. Quem locum exponens Bernardus ſolita eloquentia, & ſpiritu dixit. [Ludam, & vilior fiam, ludam ſcilicet, vt illudar, bonus ludus, quo Michol iraſcitur, & Deus delectatur, bonus ludus, qui hominibus ridiculum, Angelis verò pulcherrimum

rimum ſpectaculum præbet.] Dauid figura Chriſti fuit, vt ſacri interpretes communiter ſentiunt. Indutus Chriſtus album veſtimentum in Regis Herodis palatio, & à Iudæorum ſinagoga ſpretus in Dauide à Michol ſpreto perfectè adumbratus fuit. Cum igitur parua Diuini amoris ſcintilla, quæ erat in corde Dauid, eum coegerit, vt pro Dei amore ea fecerit, quæ vxori ſuæ Michol ſtultitia viſa fuerint, & amentia, infinitus amoris ignis, quo æternum patrem ſuum Chriſtus amat, & homines propter amorem eius, quos non operaretur effectus, quos Chriſtum non obſtringeret facere exceſſus. [Candor æternæ lucis, ſcopus amoris æterni Patris, ſanctíque Spiritus ſcopus Seraphici amoris, candidus, & rubicundus, quem ſponſa deperiit, alba veſte indutus cernitur, & ſpernitur, in eúmque tanquam in album ſignum inimici eius opprobria, iniurias, & mille pœnarum genera iaciunt, omniáque pro anima ſcelerata, & ingrata libenter ſuffert.] O amoris exceſſus, ô ſumma charitatis exhibitio! ô Deus homines amans quàm verè oſtendis, quod amare, & non inſanire, nec facere amoris exceſſus ipſi Deo vix conceditur. Verumtamen, quamuis ita magnus ſit hic amoris exceſſus vt nil amplius, vel fieri, vel addi poſſe videatur, nihilominus quid amplius faceret, & quid adderet ipſemet Diuinus amor inuenit: Ipſe quippè Dominus tantæ excellentiæ, & maieſtatis, tantæ pulchritudinis, tantíque decoris, tanta dignus reuerentia, & amore excellentiam, & maieſtatem ſuam abſcondit, pulchritudinem cooperit, & decorem multíſque ſe indecentiis exponit, & iniuriis tam hæreticorum, quàm peccatorum, ante conſpectum noſtrum gloriæ, & maieſtatis ſuæ

veſtimentis

Digitized by Google

veſtimentis nudatus, & albam, & alienam accidentium veſtem indutus. O Diuini amoris inaudita violentia, quàm magna potentia polles, præuales enim aduerſus ipſum Deum, & facis, vt talia extrema, & exceſſus faciat amoris. Amare quippè & non inſanire, nec facere exceſſus amoris vix ipſi Deo conceditur.

FERCVLVM VI.

CONVIVIO FACTO AB AMORE accedendum eſt cum amore.

QVi verè amat non quocumque ſatiatur amore, niſi extrema exhibeat, exceſſúſque faciat amoris, & niſi communes amantium leges tranſgrediatur amando non ſibi videtur eſſe verè legum obſeruator amoris, melior quippè amandi modus eſt amare ſine modo, reguláque, & amandi menſura amare debet eſſe ſine regula, & menſura. Eminentiæ omnes, faſcinora omnia, triumphi, oſtenſiones, extrema, pignora exhibitiones, perfectiones, & exceſſus amoris, quos fecerunt, quos facere poſſunt, optimi, perfectiſſimi, veriſſimíque amantes, tepores ſunt, deſidia ſunt, auerſiones ſunt, ſi cùm extremis exceſſibúſque amoris componantur, quos Filius Dei homines amans in hoc fecit Diuini amoris conuiuio, quoniam huius myſterij exhibitio eſt ſupra omne punctum, ſupra omne extremum, ſupra omnem terminum, & exceſſum, imò omnium extremorum extremum, omnium exceſſuum exceſſus, & terminorum omnium vltimus terminus, &

& vltimus Diuini exceſſus amoris, & vt vno claudam verbo eſt Diuini amoris phantaſia ſupra omnem regulam, & menſuram, quæ maior, nec eſſe, nec excogitari poteſt. Ad hoc miraculorum miraculum, ad hanc omnium Dei mirabilium memoriam Propheta. *Ezechi.*20. alluſiſſe videtur dicens: *Petite à Domino pluuiam in tempore ſerotino, & Dominus faciet niues.* Septuaginta legerunt. *Faciet niues* ideſt *faciet phantaſias.* Diuúſque Hieronymus hunc locum de Chriſto interpretatur, qui, vt pluuia petitus, & expectatus fuit à Prophetis ſecundum illud Iſaiæ. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum.* Cûmque Sanctus Doctor rationem redderet quare ſeptuaginta loco niuium verterunt *Phantaſias.* Dicit ſic factum fuiſſe propter beneficij, gratiæ, & liberalitatis magnitudinem, qua Deus hominibus contulit dilectum ſuum mittens è cœlo filium, vt ſeruos redimeret. Sicut enim in arte muſica puncta illa, & concentus, qui phantaſiæ appellantur, nec menſuram, nec regulam ſeruant, & ſunt ſupra artem, ita extrema, & exceſſus amoris, quos Chriſtus exhibet homines amans Diuinæ ſunt phantaſiæ ſupra omnem regulam, menſuram, & artem. Non enim mens, vel humana, vel Angelica, vel ſaltem cogitare potens eſſet ita ſtupendum prodigium amoris. Cum igitur Deus propter homines, tot extrema, tot ſigna, tot mirabilia, tot exceſſus exhibuerit amoris, totúmque hoc conuiuium ſuauitas ſit, dulcedóque amoris æquum eſt, vt quod cum amore donatur, recipiatur cum amore, nec coanguſtetur homo, vt accipiat, cùm ſic dilatatur Deus vt donet: Quæ igitur extrema, quæ ſigna, quos potes anima mea facere exceſſus amoris, vt tuum erga

Deum

Deum ſic te amantem oſtendas amorem, exclama cum Sapientiſſimo Idiota, & dic Deo *O miſericordioſiſſime Domine IESV Chriſte, cauſa diligendi te tu ipſe es, & te diligendi modus eſt ſine modo, quia infinitè bonus es.* Quod ſi pro quolibet beneficio à benefactore infinito collato amor debet conferri infinitus pro omnium beneficiorum maximo, quæ gratiarum actio, quæ obſequia, qui poterit amor rependi?

Rem ſpecialem, & notatu dignam D. Laurentius Iuſtinianus obſeruauit, quod ſcilicet Sancto viros veteris legis, quamquam Deum amaſſe, cum Sancti fuerint, res ſine controuerſia ſit; non tamen in charitate erga Deum excelluiſſe legatur. Excelluit Abraham in fide, in obedientia Iſaac, in patientia Iacob, in caſtitate Ioſeph, in amore autem omnium rege virtutum nullus ſcribitur eminuiſſe. Quod in hoc myſterium latet? Seruabatur proculdubio hæc gratia legi gratiæ; hic exceſſus amoris, legi amoris. Nemo in teſtamento veteri in materia charitatis à Deo examinatus fuit; ſic vt in nouo Petrus. De nullo ex antiquis extrema amoris, quæ Paulus pro amato ſuo IESV exhibuit, leguntur. Ex verbis eius, quam verus fuerit Dei amator fas nobis erit conijcere. [Quis infirmatur, & ego non infirmor, quis ſcandalizatur, & ego non vror.] Hunc locum exponens Chryſoſtomus dixit. [Non dixit non mæſtitiæ ſum particeps; ſed perinde, atque eodem ipſo affectu, ac morbo laborarem, ita perturbor, ac tumultuor. Vide rurſus incredibilem quandem doloris magnitudinem, quæ quidam in hoc inflammationis vocabulo ineſt. Incendor, inquit, atque ardeo.] Hæc Chryſoſtomus. Quis igitur ita magnum erga proximos in corde Pauli amoris excitauit incendium?

cendium? Nonne amor Chriſti? Verum poterit fortè, Bernardus interrogat, amor hic, quo Paulus proximos amat, cum amore, quo Chriſtus nos amat comparari? Et reſpondet. [Si ergo Paulus cum infirmantibus infirmabatur, quid benignus IESVS? Quid Dominus, & pater pro creatura, & filiis? Ardebat Paulus, quaſi eſſet radio ſolis accenſus, quantum putas ipſum ſolem exarſiſſe.] Quid verò Filium Dei ad hos exceſſus amoris faciendos compulit? Nil aliud, niſi charitatis extremum, & nimius amor, ſi ſic fas eſt loqui, exceſſiuáque charitas ſupra omnem modum, ſupra omnem menſuram, ſupra omnem artem. [Propter nimiam charitatem, addit tandem Bernardus, qua dilexit nos Deus, vt ſeruum redimeret, nec Pater Filio, nec ſibi Filius ipſe pepercit. Non ſibi Filius pepercit.] In hoc quippè Diuini amoris conuiuio ſeipſum cum omnibus theſauris, & diuitiis ſuis in cibum, in ſacrificium, in pretium, in pignus, & memoriale Diuini ſui amoris ſe homini tradidit, vt eius excitaret amorem. Quis ergo amori ſuo modum, & terminum ponat ſe videns ſine modo, ſine termino amari ab ipſo Dei Filio; Quis Paulum imitatus amoris igne non vritur, non incenditur? Quis ad hoc conuiuium Diuini amoris, Diuino, vt Seraphim incenſus amore accedere non procurat? ô Deus homines amans? Quare tuo homines non incenduntur amore? Cur in tuo eminere non conantur amore, cum tales efficis exceſſus amoris? Concede mihi ô Domine amorem hunc, vt dignè perfrui poſſim hoc conuiuio amoris.

Iuſſit Dominus populo ſuo, vt ſingulis annis decima die primi menſis in beneficij memoriam; quod acceperant Hebræi, cum eos à dura Ægy-

pti

Digitized by Google

pti ſeruitute liberauit, Paſchalem ederent agnum. Et inter alias ceremonias in eſu illius ſeruandas in Exodo c.12. inquit, *Et edent carnes nocte illa aſſas igne, & azymos panes cum lactucis agreſtibus. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, ſed aſſum tantum igne.* Qui agnus eſt iſte? Cur comedi non debet, nec crudum, nec coctum aqua, cur tantum aſſum igne? Agnus iſte, vt communiter ſacri interpretes ſentiunt, Chriſti Domini vmbra fuit, qui agnus eſt ſine macula, qui tollit peccata mundi, agnus mitis, & humilis. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, agnus ex oue natus Virgine, quæ cum non viri opere; ſed Spiritus Sancti virtute concepit, agnus aſſus in ligno Crucis Diuini amoris igne, agnus, qui inter patinas argenteas, & aureas panis, & vini accidentium in alimentum; & illecebras, in hoc conuiuio Diuini amoris homini immenſa charitate in menſa miniſtratur altaris. Quare autem manducandus eſt cum pane azymo, & ſine fermento? vt nos doceat cœleſti opus eſſe puritate ad manducandum agnum cœleſtem. Et quare cum lactucis agreſtibus, quæ amaræ ſunt? vt erudiat nos cum pœnitentia, & mortificatione ad Euchariſtiam eſſe accendendum. Et quare tandem non debet eſſe coctus aqua? quia indecens eſt, quod teporis aqua ſit in conuiuio, in quo Diuini exardet ignis amoris.

Propterea, inquit D. Cyrillus Alexandrinus iuſſit Deus in citato exodi loco ne Paſchalis agnus ederetur, niſi aſſus igne, vt nos inſtrueret, quod qui acceſſurus eſt ad comedendum agnum in hoc conuiuio Diuini amoris, agnum ſcilicet Chriſtum igne amoris aſſum: Diuino accedere debet incenſus amore. [Porrò, inquit, iubet eos edere

carnes

carnes igne aſſas, eo quod oportet eos eſſe inflammatos ſpiritu, qui volunt ad communionem Chriſti accedere, ideò, & Paulus iubet ſpiritu eos feruere. Cum igitur qui conuiuium parat, & ſe ipſum in cibum tradit, ipſéque Filius Dei eſt, hominis amore inflammatus ſit, qui tanto inuitatur amore, homo videlicet iuſtus, iuſtum eſt, vt igne Diuini amoris inflammatus accedat, omnem tepiditatem excutiat, ſéque ſedulitate, & feruore diſponat. Æquum quidem eſt, anima mea, quod amore tantum rependas amorem, magni fac hoc beneficium, gratam te oſtende huic fauori; audi Auguſtini conſilium valdè exercitati in amoris materia. [Ama, inquit, amorem illius, qui amore tui deſcendit in ſubſtantiam panis, & ibi amorem ſuum amori tuo copulauit humiliando ſe, ſublimando te, coniungendo lumen ſuæ æternitatis limo tuæ mortalitatis.] Hæc D. Auguſtinus. Cùm igitur Diuinus agnus in panem deſcendit, vt tuo ſuum coniungat amorem, oportet, vt te præpares ad eum recipiendum cum amore, quæ optima eſt præparationum omnium.

FERCVLVM VII.

EXERCITIVM AMORIS AD recipiendum Chriſtum cum amore.

INter omnes creaturæ rationalis affectus, altiſſimus, ſublimiſſimus, excellentiſſimus, perfectiſſimus, homini vtiliſſimus, & Deo gratiſſimus affectus Diuini amoris eſt. Qui hunc ſcit exercere affectum, artem ſcit amandi Diuinam, ſancto-

rum

rum ſcientiam, quæ efficit ſanctos, iuge Seraphinorum exercitium, omniúmque cœli ciuium, nobiliſſimam, & perfectiſſimam actionem Dei, qua infinita beatitudine potitur. Diſcamus igitur in quo hæc amoris, qui Diuinos, beatóſque homines facit, eſſentia conſiſtat. Venerabilis Abbas Ludouicus Bloſſius de hoc Seraphico affectu loquens ſic ait: [Sincerus, & ſublimis amor Dei in hoc conſiſtit, vt ſiue cum dulcedine, ſiue ſine dulcedine velimus, accipiamúſque, vel gaudeamus Deum eſſe quod eſt, ac tantam gloriam, tantum dominum, tantam opulentiam obtinere, quantam obtinet, deſiderantes etiam, vt omnes ei rite ſeruiant, cúmque diligant, & glorificent, qui eſt omni honore, amore, & obſequio digniſſimus.] Breuiter; & non ineleganter religioſus vates totam hanc Diuini amoris diſciplinam his carminibus comprehendit.

Infinita eſt Semper, quia gloria ſponſo
Gaude tuo; grates latáque ſemper age.
Hoc tibi ſemper erit cœli fons, & cauſa beatæ
Vitæ, ô ſponſa tua; nam tua vita Deus.

Non erit & ingrata in Hiſpanum ſermonem traductio non ſecundum litteram, ſed ſecundum ſenſum.

Acuerdate alma mia
Deque ay Dios, y que tiene immenſa gloria
Yllena de alegria
Renueua eſta dulciſſima memoria;
Que en ella feliz tienes
La fuente æterna de infinitos bienes.

In his carminibus tota hæc clauditur ars Diuina Deum amandi, tota Sanctorum ſcientia, quæ, vt diximus ſanctos efficit, excellentiſſimus, perfectiſſimúſque actus, quem non ſolum rationalem

creaturam,

creaturam, verum nec ipſum Deum excellentiorem, vel perfectiorem operari poſſibile eſt. Cum enim res melior, nec dignior amari, quam Deus, vel eſſe, vel excogitari poſſit, quoniam infinitum bonum eſt; non poteſt ipſe Deus Diuiniorem rem exercere, quàm ſeipſum amare infinito amore, nec rationalis creatura ad altiorem euehi perfectionem, quam ad vnionem cum Deo per actum amoris perfectiſſimum imitando in hac perfectiſſima occupatione tres animæ potentias, memoriam ſcilicet, intellectum, & voluntatem in eo exercens, ad quod eas à Deo accepit. Hæc ſcientia à mundi ſapientibus abſcondita eſt, & humilibus aperta, quos promiſſionem ſuam adimplens Deus vult ad altum perfectionis gradum extollere, De hoc Diuini amoris effectu, & affectu, & neceſſitate eius ad beatè viuendum cecinit idem qui ſupra.

Petra habeat quamuis clara inter ſydera ſedem
Non ceſſat centrum quærere petra ſuum.
Inque auro, quamuis det ſuaues ignis odores.
Claro, ſphera tamen quæritur igne ſua.
Amnis eat pulchros flores licet aureus inter
Non ceſſat præceps amnis amare mare.
Quid ſine te faciam, ſine te vel quomodo viuam
Sphæra, mare, & centrum, veráque vita Deus.

Ad hoc tendit amor, vt amans vniatur amato, cúmque Deo vniatur fit Diuinus. Si terram amas, inquit Auguſtinus terrenus es, ſi cœlum cœleſtis, ſi Deum Diuinus, hæc eſt virtus amoris.

Omnis amans ſemper ſi in rem mutatur amatam.
Qualis amor fuerit, tu quoque talis eris.
Si terrena ſapis, ſi mundi hæc vilia quæris
Tu terrenus amans, tu quoque vilis eris.
Si tamen ad cœli Dominum præcordia tollas

Tu cœleſtis eris, tu quóque Diuus eris.

Hinc oritur ſumma huius actus perfectio, quia per eum creatura ſummo vnitur bono. De excellentia huius actus audiamus eundem Venerabilem Bloſſium. [Qui, inquit, ſublimis amor finis eſt perfectiſſimæ contemplationis, & eius exercitium omnium exercitiorum ſpiritualium excellentiſſimum, nihílque poſſumus, aut melius, aut nobilius, aut Deo acceptius facere, quàm ipſum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligere. Et ſtudium amoris aliis affectibus comparatum, eſt ſicut oleum comparatione aliorum liquorum, quod omnibus ſupernatare dignoſcitur. Eſt velut aurum inter metalla, quod omnibus aliis metallis valore, & pulchritudine, & perfectione ſuperueniet. Eſt velut ignis inter elementa; qui non ſolum loco, verum, & naturæ præſtantia, & efficacitate, & ſubtilitate reliquis antefertur. Eſt denique amor charitatis, quod per ſe bonum, & præmio vitæ æternæ dignum eſt.] Verba quidem digna, vt aureis litteris ſcribantur in corde. Eſt, ait, hic ſublimis amor; contemplationis finis perfectiſſimæ. Oratio, & meditatio, reliquæque virtutes animæ cytharam, potentiarúmque temperant chordas, & amor eſt, qui in contemplatione gratiſſimum Deo edit concentum. Nonnulli magnam vitæ partem in aptando inſtrumento, aliarum virtutum exercitio conſumunt, & de eo, quod excellentius, & vtilius eſt non curant, huius Diuini actus obliti, quo gratiſſimum Deo concentum reddere poſſent, & proculdubio falluntur. Actus iſti Diuini amoris debent exerceri quàm frequenter, & nulla ad hunc diuinum panem edendum melior, aut conuenientior præparatio, & poſt communionem nulla Deo gratior

gratior gratiarum actio. In nullo opere ſuo maiorem bonitatem, maiorem ſapientiam, maiorem Deus potentiam oſtendit, quam in hoc conuiuio, quod hominibus parauit, gaudebat igitur anima eo, quod ita bonum, ita ſapientem Deum habeat: ita bonum; vt totum ſeipſum omnibus ſuis diuitiis, & theſauris homini viliſſimæ, ac miſerrimæ creaturæ ſe tradat amoris ſui exercens primores erga eum, qui indignus eſt amore: ita Sapientem, vt in pauxillo panis omnium mirabilium ſuorum compendium, & ſtupendorum fecerit epilogum miraculorum: Ita potentem, vt exequi potuerit, quod humanæ mentes, & angelicæ poſſibile excogitare non poſſent. Gaudeat, quod talem Deum habeat, & ille talia, ac tam Diuina attributa, agat ei gratias propter illa, & per ſuffragium tribuat Deo Diuinitatem ſummo gaudio exultans eo, quod Deus ſit qui eſt, & vt huius actus ſummam excellentiam agnoſcat, quantum cœteras ſuperet virtutes attenta meditatione meditetur. Cum ergo conuiuium hoc conuiuium amoris ſit, nullus affectus conuenientior erit, vt quis eo fruatur, quam affectus Diuini amoris, cúmque, vt diximus inter liquores ſit oleum, inter metalla ſit aurum, inter elementa ſit ignis, oleum hoc offeramus, in quo flamma ardeat amoris, aurum hoc optimum, quod Dei oculis placet, & iras placat, offeramus hunc ignem, vt in cordis noſtri aurea lampade iugiter luceat, & ardeat, inceſſantérque à Deo ardenti deſiderio efflagitemus illum, quod ſi impetramus, nec nos Deus optare, nec Deus melius, aut vtilius donum nobis poterit præſtare.

Vt Seraphicum hoc exercitium firmum ſit, & permaneat in profunda debet humilitate fundari

hæc enim virtus, vt tutum charitas erigat ædificium fundamenta iacit. Contemplare igitur infinitam Dei maieſtatem, & immenſam tuam vilitatem, & qui humilia reſpicit, te reſpiciet, & Diuini ſui amoris te dono ditabit.

Hic Dominus, quem amas
Immenſam habet gloriam,
Excita amorem tuum
Hac hilari memoria,
Eſt te cœnum viliſſimum
Et fœtidum recogita,
Et cum Deus te inuitat
Ad tot Diuina dona
Sit tibi felix homo
Illi ſeruire gaudium,
Illum amare gloria.

Amoris huius actus effectus eſt lætitia in laboribus, in infirmitatibus, in doloribus, in iniuriis in tribulationibus, in tentationibus, in deſolationibus, vt impleatur conſilium illud D. Iacobi *c.* 1. cuius linguam, niſi qui amat non intelligit. *Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in varias tentationes incideritis, nam probatio veſtra fidei patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet.* Vnus numero amoris actus tempore aduerſitatis plus pretij habet, quam alij plures tempore proſperitatis: quia in tribulatione patientia eſt lydius lapis, an verus ſit, an falſus amor. Scitè ad rem, inquit Chryſoſtomus. [Si in bonis Deo gratias egiſti ſoluiſti debitum, ſi in malis Deum conſtituiſti debitorem.] Vnde vero hoc, niſi, quia in malis verus, & fidus probatur amor. Hoc idem metro cecinit religioſus vates.

Qui bona ſuſcipiens grates dat, debita ſoluit;
Debet enim gratus ſic Domino eſſe ſuo

Qui

Qui tamen in duris rebus præconia cantat
Propterea eſt illi debitor ipſe Deus.

Hi effectus Diuini ex Diuino naſcuntur amore, & hic ignis incendit, creſcítque in hoc Diuini amoris conuiuio, nulláque melior diſpoſitio ad ſedem capiendam in illo, cum ſit conuiuium amoris, quam amor, iugéque exercitium amoris.

Effectus etiam eſt Diuini amoris, qui in hoc incenditur conuiuio amoris, cum ſit pignus gloriæ, ardentiſſimum deſiderium ipſius gloriæ, in qua feruens anima ſe peroptat liberam videre ab omni eo, quod impedit actum amoris, & ab omni culpæ macula, qua amor Diuinus tepeſcat. Hoc deſiderium facit, quod anima magno odio proſequatur terrena, magnóque amore cœleſtia, & vtróque affectu creſcit, & perfruitur amor.

FERCVLVM VIII.

GRATIOR DEO CONCENTVS IN hoc conuiuio Diuini amoris eſt gratiarum actio cum magno feruore.

HOmo qui eſt tota creatura, mundi mappa, & epilogus, ideo à Græcis dictus microcoſmos, ideſt abbreuiatus mundus, omnes debet inuitare creaturas, vt ſimul cum eo creatorem collaudent pro tam ſingulari, mirabilíque beneficio ipſi collato homini; cúmque hoc beneficium omnium beneficiorum ſit maximum, nec homini à Deo majus conferri poſſit, æquum eſt, vt homo omnes creaturas conuocet, vt ſuo benedi-

can. benefactori. Clemens Alexandrinus *lib.6. Stromatum* habet, quod menſa, ſuper quam panes propoſitionis imponebantur ſex conſtabat cubitis, pedéſque eius, qui quatuor erant, cubitum ferè vnum, & dimidium habebant; vndè conſequenter colligitur totam menſam duodecim cubitis conſtare; aſſerit etiam vndas, quaſi mare criſpantes habere. Quapropter per menſam dixit terram ſignificari, & per duodecim cubitos, duodecim menſes anni, & per quatuor pedes quatuor tempora, ver, hyemem, æſtatem, & autumnum; per vndas mare oceanum, quod tellurem omnem circumdat; In quo voluit dicere Dei ibi animum fuiſſe quòd toto anno, & quolibet tempore illius, vel hyems, vel ver, vel æſtas, vel autumnus eſſet, dúmque immenſus Oceanus hunc terræ cingeret globum numquam ab altaris menſa per panes propoſitionis repræſentatus panis deerit. Ioſephus, & Theodoretus, aliíque affirmant menſam illam fuiſſe rotundam, in qua duodecim anni ſigna inſculpta erant, terrámque per menſam ſignificari, quæ Sole, planetíſque per duodecim Zodiaci ſigna excurrentibus, cibos, eſcáſque diuerſas producit, quæ ſecundum ſacræ ſcripturæ phraſim per panem ſignificantur. Hæ tamen expoſitiones, licet valde ſint eruditæ; nihilominus, aptius ad rem noſtram dicere poſſumus, ideo in menſa, in qua erant propoſitionis panes, cœlum, & terram, & tempora omnia depingi, quia creaturæ omnes tam cœli, quam terræ omni tempore vna cum homine concurrere debent, & homo eas omnes inuitare, vt collaudent, vt benedicant infinitam largitatem Dei, qui in hoc Diuino pane, cuius propoſitionis panes ſolum vmbræ erant, optimum cœli, & optimum terræ homini dedit, & in hoc honore,

honore, in hoc pretioſo cibo, in hoc ſuauiſſimo edulio, eum omni creaturæ prætulit. Quis ergo, qui talem, ac tantum beneficium recipit omnes ſenſus ſuos, potentias omnes, totam animam ſuam, creaturáſque vniuerſas, vt eum adiuuent ad grates Deo agendas pro tam incomparabili beneficio ad benedicendum, collaudandúmque infinitum benefactorem, inceſſabili clamore non inuitat?

A volucribus cœli, vt Domino cœli gratos nos oſtendamus dicere debemus; recipiunt ab eo, qui implet omne animal benedictione, etiam, & alimentum, & veſtimentum. Nec arant, neque nent, neque laborant, & Pater cœleſtis paſcit eas, atque, vt beneficio huic gratæ ſint cantare, collaudare, & benedicere creatori ſuo, benefactori ſuo totum eſt exercitium earum. De luſciniis, dicunt, qui de naturali hiſtoria ſcribunt, quaſi contentiosè ſolere in duobus ramis ſedentes, tanto feruore, & perſeuerantia cantare, quaſi ſe inuicem ſponſione laceſſentes, & quæ creatorem ſuum magis laudet, ſéque ei magis gratam oſtendat ita conſtanti contentione, ita firmo conatu, procurantes, ne vna ab alia vincatur, vt prius vitam, quàm dulcem derelinquant concentum, ô ſuaue mortis genus ipſi vitæ præferendum! ô hominum ratione vtentium erubeſcentia, & confuſio, cum à ratione carentibus paſſerculis in hoc gratitudinis exercitio vincantur.

Non minori ſpiritu, quàm eloquentia ſcribit D. Ambroſius hanc volucrum curam ſe Deo gratas exhibendi. [Nunc, inquit, videmus minutiſſimas aues, cùm illuceſcentem diem aurora producit in quibuſdam nidorum cubiculis varia dulcedine perſonare, & id ſtudiosè agere: prius er-

go procedant, vt creatorem ſuum, quia loquela non poſſunt, ſuauitate demulceant, & quemadmodum vnaquæque earum, quoniam confeſſione nequit, modulis prodat obſequium, ita, vt deuotius ſibi videatur gratias agere, quæ dulcius perſonauit.] Hæc D. Ambroſius. Sunt quidem auiculæ optimæ hominum magiſtræ, eóſque gratitudinem, quam erga Deum propter beneficia eius habere debent, docent, & præcipuè propter hoc beneficiorum omnium maximum, quod ſcilicet nos ad regiam ſuam menſam, vt Diuini amoris conuiuio perfruamur, inuitet, ratione cuius verus ſol iuſtitiæ Chriſtus diuina luce ſua in cordibus noſtris irradiat.

P. Ioannes Euſebius ex Societate IESV propter ſingularem eruditionem, & ſpiritum benè notus, & in magno honore habitus in libro Sacræ Philoſophiæ hæc habet. Planta quædam notabilis, cui nomen eſt Coyanla, naſcitur in regno Æthiopiæ, eſtque à quadam auicula mirum in modum amata, & zelata, folia habet, quaſi hederæ, magnum fert florem, qui mille foliis conſtat, omnium colorum varietate depictis, eſtque miræ pulchritudinis, ſuauiſſimíque odoris. A meridiè vſque ad mediam noctem aperitur, extenditúrque miram ſuam ſpeciem oſtendens, & à media nocte vſque ad meridiem in ſuo ſe recludit capútio, hanc quotidiè repetens viciſſitudinem. Auicula quædam pulcherrima æquali varietate colorum, mirum hunc florem cuſtodit, vocatur Supenimini, carducli auicula canora non maior; Toto tempore, quo flos iſtè apertus eſt non recedit ab eo hæc auicula amatrix, & zelatrix illius, volitans circuit iuxta illam, impedítque ne ab aliis auibus, vel animalculis offendatur, cænomyias,

&

& alias beſtiolas occidendo ſi ad florem accedant, eáſque proijcit in terram. Contra aues maiores clamat, eáſque fugat percuſſione alarum. Cum flos eſt reſeratus omnino ſi habet aliquam immunditiam, aufert illam, ſi aliquid inornatum exornat, & aptat, delectatur eius odore, & in medio floris ſedet, & ſuauiſſimè canit. Hoc habet exercitium hæc auicula, toto tempore, quo dilecto ſuo poteſt flore potiri. Cum clauditur, abit, & ad libitum quo vult, volat vſque ad alium meridiem cum ſui repetit amoris obſequia.

Videbuntur fortè alicui res incredibiles, verum ei, qui attente naturæ autoris ſecreta mirabilia conſiderat, eiúſque arcana rimatur, nimis fient credibilia; non enim minore admiratione digna ſunt, quæ in formicis, & apibus ſæpè videmus, ad quas, vt ab eis prudentiam, & ſapientiam diſcamus nos Diuinus Spiritus mittit. Et ſaltem huius floris, huiúſque auiculæ miræ proprietates pro myſtica parabola poſſunt nobis deſeruire, vt ab eis deuotionem, veuerationem, cultum, & amorem, quo reuereamur, veneremur, ſeruiamus, & amemus Chriſtum in hoc mirabili ſacramento diſcamus. Flos humanæ naturæ, lilium cœleſte, cuius pulchritudinem cœlum miratur, cuius ſuauitate homines recreantur, & Angeli lætantur. Chriſtus eſt Filius Dei, mille folia omnigena exornata varietate colorum, virtutes eius adumbrant, in eo enim theandricè ſplendent omnes. Amatrix hæc auicula, quæ tanta ſedulitate munditiei, & cultui huius floris ſtudet, tantáque ſolicitudine decorem eius procurat, tantáque attentione ei confert obſequia, & præſtat miniſteria, tantáque perſeuerantia aſſiſtit, vt illius pulchritudine, ſuauitate, & fragrantia fruatur, &

Digitized by Google

denique in medio ſedens ſpecioſiſſimorum foliorum eius in pennis ſuis colorum eius varietatem æmulans ſuauiſſimo cum concentu demulcet, quem poteſt perfectiùs repræſentare, quam Sanctam animam, quæ Chriſtum imitans varietate exornata virtutum campi florem, & lilium conuallium, ipſum ſcilicet Chriſtum ex toto corde diligens in hoc Diuino ſacramento colit, veneratur, & innumeris miniſtrat obſequiis, atque, vt à nullo offendatur, ab omnibus diligatur, & veneretur totis viribus procuret? Hoc deſiderat, hoc amat, hoc tota mente, & ſolicitudine requirit, & vt propinquus illius pulchritudine Diuina, cœleſtíque odoris ſuauitate fruatur florem ipſum edit, & in medio cordis collocat, ibíque ſuauiſſima gratiarum actione ſuauiſſimum concentum poſtquam edit, edit & auium æmulata ſuauitatem amorem ſuum, ſuámque gratitudinem dulciter canens oſtendit.

Quis igitur auiculam iſtam imitari non curat? Quis floris dilectricem, Chriſtum diligendo non æmulatur, Quis eam non nititur habere magiſtram? vt Diuini addiſcat doctrinam amoris, ita cordibus dulcem, ita animabus vtilem? Quis totis viribus non conatur aſſiſtere, venerari, ſummo ſtudio ſeruire, amare, totóque cordis affectu placere, gratias agere, gratámque ſe oſtendere Deo, qui ita nos amat, ita nos ſuo obſtringit amore. O Deus homines amans vt quid homines tantum amorem non rependunt amore.

FERCVLVM IX.

FERCVLVM IX.

LICET PRO HAC GRATIA GRAtiarum actio præcipuè reddenda ſit Chriſto, reddi etiam debet Mariæ matri ſanctiſſimæ illius.

PLus glorioſiſſima mater Chriſti Maria nos amat, quam omnes cœlicolæ Chriſtum, eodem quippè, quo Chriſtum nos amat amore, iſque maior eſt amore illo, quo omnes cœli ciues Chriſtum amant. Cúmque optimè ſciret quot bona, quot cœleſtes theſauros homo recepturus erat hunc cibum Diuinum recipiens in hoc conuiuio Diuini amoris, quando lacte illo cœleſti Virginеorum vberum eum alebat, qui vniuerſas creaturas alit; Dei nempè, & ſuum Filium, & recordabatur lac illud fore vertendum in carnem, & ſanguinem, quibus Diuinum hoc ferculum præparandum erat hominibus, atque hoc lacte ſuauiſſimum efficiendum panem, nutriénſque hunc agnum, vt eo cibaretur homo, ſpiritus eius hac dulciſſima memoria exultabat. Meditatio hæc pio, & docto ſcriptori Nouarino debetur; hæc enim debet *in lib. 5. ſacr. elect. excurſ.* 38. [Meditantur, inquit, aliqui, & ſuum calculum quiſque abijciet, ſi modo animum aduertat Dei matrem ſummo gaudio correptam, cùm lac Chriſto exhiberet ſciens in ſanguinem eſſe vertendum, quo fideles ad vitam eſſent alendi. Debemus poſt Deum tuum, & tibi ô Virgo, quòd Chriſti cor-

pus deguſtamus. Nam, & Chriſti corpori, quod noſter cibus erat futurus exhibuiſti.] Hæc Nouatinus. Cum igitur Deum hoc beneficium, hunc pretioſum cibum à Maria acceperimus, poſt Deum huic Dominæ, & matri noſtræ gratias agere debemus; poſt Deum ita piæ, & liberali benefactrici noſtræ quam plurima obſequia præſtare debemus.

Speciali cura, vt fide digni expoſitores affirmant ſanctiſſima Virgo, cœnaculi ornatum, in quo Chriſtus dilectiſſimus eius Filius Paſcha celebraturus erat, & Paſchalem agnum manducaturus; & hoc Diuini amoris conuiuium inſtituturus, in quo daturus erat nobis corpus ſuum in cibum; & ſanguinem ſuum in potum, Apoſtolis præparandum commiſit. Adfuit in illa vltima cœna mater Chriſti, vt inquit Simeon Metaphraſtes in vita illius; non tamen cum Apoſtolis ad menſam ſedit, cum illis enim ſolus fuit Chriſtus, iuſſitque, vt Virgo ſanctiſſima ſanctarum mulierum, quæ ipſum comitabantur, & ſuis eleemoſynis alebant, curam haberet, &, vt ſe illis gratum oſtenderet, voluit eas illa nocte cænare cum ſanctiſſima matre ſua. Finitáque cœna, cum Chriſtus Dominus cum diſcipulis ſuis hortum petiiſſet nocte illa, paſſionis ſuæ doloribus, & laboribus plena, remanſit Deipara in domo illa, in qua inſtitutum fuerat hoc Diuini amoris conuiuium, ad dolores enim, iniurias, & pœnas, quas in Filij ſui paſſione paſſura erat, fortiter ſufferendas nullo alio tutore clypeo protegere ſe poterat, quam in domo illa memoria ſacramenti inſtituti.

Mappæ menſæ, in qua hoc altiſſimum myſterium Chriſtus inſtituit, vt fide digni ſcriptores affirmant manibus ſuis ipſa Deipara elaborauit;

im

in eiſque pulchra lilia intertexuit; fortè, vt magnam puritatem, qua opus habet, qui ad hanc vult menſam ſedere, nobis ſignificaret. His latinis carminibus deuotus poëta non ſine elegantia cecinit.

Hac in mappa poſuit ſua fercula, & artis
Pro pretio Maria ſat mihi noſſe manum.
Admirans aliquis textum admirabile dixit
De Maria eximia texuit arte manus.
Quam belle depingit acu, qua lilia nectit
In Chriſti veſtes ingenioſa manus.

Hæ mappæ Vliſſippone in Luſitania in Eccleſia Sancti Roque magna veneratione ſeruantur intertextáque lilia habent. Felix anima, quæ texens pretioſas mappas ex telis cordis ſui candidis, pulchriſque liliis puraru͂ cogitationum eas exornat, in quibus cœleſtis agnus lætus, gratúſque paſcatur.

Tandem in hoc mirabili Sacramento Maria partem habet, vt illud recipiens propinquam, & ſtrictam cum ea contrahat conſanguinitatem. Ita, vt inter conſanguinitates, & propinquitates omnes, quas inter ſe homines habent, nulla hac inueniatur ſtrictior, fauor quidem ineffabilis, incomparabilis dignitas. Debetur hæc notatio noſtri Patris Ioannis Euſebij *lib.2.c.4.* deuotioni, & ingenio. [Nullus homo, inquit, propinquior eſt affinitate alteri, quam eſt ſibi coniuncta B. Virgo.] Qui corpus Chriſti ſuſcipit in Euchariſtia vnione quadam reali fit vna caro cum Chriſto, vt non ſit alia vnio, & coniunctio tam propinqua, & ſimilis inter homines etiam inter virum, & vxorem. Quare etiam debes reputare affinem matri ipſius Chriſti, & reputare habere eamdem carnem. Maior item eſt coniunctio phyſica, & realis

realis inter Deum, & te, quam inter te, & patrem tuum, qualis ergo erit affinitas, quam contrahis cum matre ipſius Dei. Hæc noſter Euſebius. Quis igitur non magnifacit ſic magnum honorem, quis non peroptat ſimilem dignitatem, quis ſic glorioſum fauorem adipiſci non procurat. Tam facili negotio miſerrimum hominem ad tantam cum Regina Angelorum, cum Domina cœli, & terræ propinquitatem peruenire, quid poteſt glorioſius excogitari, vel comparari ſublimius. Cúmque hæc conſanguinitas ex intima vnione hominis cum Chriſto Virginei vteri benedicto fructu proueniat, beneficium hoc, qui communicat poſt Chriſtum, debet Mariæ, debet ergo gratias agere Sanctiſſimæ Matri eius Mariæ, & quamplurimis obſequiis ſe ei gratum oſtendere.

Ex titulis, & nominibus, quæ huic Diuino Sacramento ſacri Doctores conferunt, hoc debitum noſtrum, quo erga Deiparam obſtringimur Chriſtiani, qui corpus Chriſti recipimus manifeſtè colligimus. Paſchalis Agnus à D. Cypriano *de cœna Domini.* vocatur; ab Apoſtolo Andrea in eius vita immaculatus Agnus, nec mortuus. A D. Ioanne *in ſua Apocalypſi. c.* 13. Agnus occiſus ab origine mundi. A textu ſacro *in Numeris c.*13. Racemus terræ promiſſæ. Ab Ambroſio *de Sacr. c.*3. Fauus mellis. A noſtra matre Eccleſia ſæpè panis nuncupatur angelorum. Ab ipſo Chriſto Domino manna, panis ſcilicet, qui de cœlo deſcendit, & denique ad mentem noſtram multis aliis relictis ab Angelico Doctore. *Opuſc.* 58. conuiuium pretioſum, & admirandum. Quis igitur nobis Agnum hunc in alimentum, in ſuauem eſcam, in ſacrificium donauit: in alimentum animarum

marum noſtrarum, in ſuauem ſpiritus eſcam, in ſacrificium pro peccatis noſtris. Nonne ouis Virgo pulchra, mitis & aurei velleris, Maria? Ergo ei agere gratias debemus. Quis ſpecioſiſſimum hunc racemum terræ promiſſæ, imò cœli nobis donauit? Cuius conditum merum cor humanum lætificat; Angeli ſanctè æmulantur, Deus amore proſequitur? Nonne fertilis vitis, & arbor fructifera Maria? Quis nobis dedit hunc mellis fauum, qui totius eſt fons dulcoris, & gloriæ delitiarum epilogus? Nonne apis Virgo Maria, quæ in ſacro ventris alueario cœleſtem hunc elaborauit fauum. Vbi manna Angelorum panis ad delitias hominum efformatus eſt? Nonne in Virginis vtero Spiritus Sancti operante virtute; nonne etiam in eo tanquam in aurea vrna ſeruatum eſt per nouem menſium ſpatium? Panis hic, quo mundus alitur nonne in Mariani ventris ſacro clibano Diuini amoris coctus fuit igne? Conuiuium hoc ita ſumptuoſum, ita cœli illecebris plenum, homini ita honorificum, ita vtile, ita Deo glorioſum, nonne à Maria ſolicitatum præparatúmque fuit? Ergo tanquam præcipuè amabili noſtro Redemptori gratias agere debemus, debemus & Mariæ. Quis igitur tanti ponderis beneficio ſe videns obſtrictum omnibus, quibus poteſt obſequiis reuereri, venerari, amare, & ſeruire tam inſigni benefactrici non procurat.

FERCVLVM X.

FERCVLVM X.

MAIOR GRATITVDO, QVAM Chriſto exhibere poſſumus ob corpus ſuum nobis exhibitum ſæpè illud recipere eſt, eius enim corpus recipientes omnia opera miſericordiæ corporalia ipſi exhibemus.

QVia diſcurſus hic viri eſt ita ſanctitate, & ſpiritu inſignis, vt Beati titulo à Catholica Eccleſia honorari meruerit illum hic fideliter verbo ad verbum tranſcribam propter ſolatium, & doctrinam opus hoc legentis, videatur Nouarinus *lib.5. Sacr. elector. n.* 1078. Cuius hæc ſunt verba. Et vt illud aggrediar, quod circa iſtud habeo dico ex variis partibus ad me perlatam Dominationem tuam miſericordiæ opera non benè tantum; ſed optimè erga proximum exercere, hac de cauſa in animum induxi breuiter tibi oſtendere qua omnia miſericordiæ operá erga propriam Chriſti perſonam valeas exercere, & facilè ſuauitate multa abſque vllis ſumptibus, ſine labore, & abſque eo, quod multo tempore ad hoc indigeas, cum vnum huic rei momentum ſufficiat. Sume igitur Domina, & quidem ſæpè Chriſti corpus, quia quotieſcunque te hoc pane cibabis, cuius repletio eſt optima, toties omnia miſericordiæ opera exercebis in ipſum Chriſtum; ſed rem probemus. Primum miſericordiæ opus eſt cibare eſurientem, & quid aliud agimus, cum Chriſtum ſumimus quam corda noſtra, veluti

quodam

quodam cochleari in Dei optimi os ponere, quorum tanta fame tenetur? Vt recolem me accommodate in rem præſentem legiſſe in actis cuiuſdam Sanctæ ſolitam fuiſſe incredibili pœna apud ſe, vt nullus alius exaudiret, dicere Sacerdoti, qui in manu tenens hoſtiam conſumpturus erat. Cito pater cito in cor hoſtiam dimitte, quia hoc cibo Chriſtus veſcitur. 2. inter miſericordiæ opera opus eſt potare ſitientem, & quando lachrymulam aliquam Deo offerimus, aut quando oculi noſtri in lachrymarum deſiderium magis feruntur, quam in communionem, nam & hæc ſola voluntas ſufficit aliqua ex parte eius extinguere ſitim, nec credat Dominatio veſtra, quod exigua ſit ſitis, qua Chriſtus corripitur noſtrarum lachrymarum, quæ ſi adeo Angelis placent, vt eas S. Bernardus vocauerit vinum Angelorum, iuſtius Deo plus placebunt, vt iuſtè dici poſſint non Dei tantum liquor;ſed ferè cor Dei, cor,inquam,quia hoc titulo inſignire ſolemus quidquid ſuper alia, quæ diligimus charum nobis eſt. Sequitur 3. opus miſericordiæ, quod eſt, vt probè ſcis colligere hoſpitem. Nulli autem dubium eſt, quin Chriſtus ſit hoſpes, cum ipſe ore proprio dixerit. Non ſum de hoc mundo, & quando illum verè in domo noſtra recipimus, quam in hac ſacra communione? & quod id verum ſit non dicis Chriſti corpus ſumptura? Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ideſt in domum meam, & quidem verè. 4. Deinde opus eſt operire nudum, nudus domina, aut ferè nudus ſtat Chriſtus in Sacerdotis manibus, quando communicaturi ſumus eum nulla res alia cooperiatur, quam ſubtiliſſimo illo accidentium velo. Hinc nos illum in nobis excipientes amabiliſſima veſte donamus,
nimirum

nimirum noſtris propriis carnibus. Quantum opus eſt, vt probè ſcis infirmum viſitare, & quam quæſo dulcius, ac familiarius Chriſtum ipſum viſitamus, qui languit amore, quam in ſacra communione? & quia ſcio, quod Dominatio tua mihi hoc non ſit negatura ad vltimum opus tranſeo, nam iuxta S. Matth. ſex tantum miſericordiæ opera habemus, licet ſeptem numeret Eccleſia. Poſtremum igitur eſt viſitare eum, qui eſt in carcere. Porrò quis mihi negare poteſt, quin Chriſtus carceri quodammodo non ſit addictus, quin & ſub clauibus in tabernaculo clauſus? nullus certè, niſi aliquis, quem nimia religio corripiat, qui velit mecum rigore Theologico agere, quod, cum ita ſit, quid aliud præcipuè agimus, cum illum excipimus, quam illum ab huiuſmodi carcere liberare, quod magis eſt, quam ſi illum nudum veſtiremus. Scio, Domina, cui ſcribam, atque adeò non tanquam ſeuerus Theologus ſcribo; ſed tanquam mitis, placidúſque ſpiritualis pater, licet verè talis non ſim. Poterit Dominatio tua paucis his, ac breuibus conſiderationibus vti, & ante ſacram communionem, & poſt ipſam, hac tamen ratione, ſi ita tibi videbitur. Poſt ſacram communionem objicies imaginationi tuæ Chriſtum benedictum, qui dulci, & ſuaui quodammodo tibi propter ſupradicta opera gratias agat, vt exempli gratia. Gratias tibi ex toto corde ago, ô anima, quod cum tanta fame, vt probè ſcis tenear, tui cordis tanta promptitudine voluiſti illud mihi, velut in os ingerere, & hoc in quinque aliorum exemplum ſatis ſit. Attamen cum perſonæ ſcripta ſit, cui ego multum debeo, nunquam efficiet, vt me huius longitudinis pœniteat, ſicut, & nunquam me

pœnitebit

pœnitebit propoſiti, quo ſtatui quotidie pro te preces ad Deum benedictum ſoluere, cúmque velim, vt idem viciſſim pro me præſtes. Neapoli 5. Nouembris 1593.

Illuſtriſ. Dominationis tuæ in Domino addictiſſimus. D. ANDREAS Clericus Regularis.

FERCVLVM XI.

ELOQVENTISSIMA EXHORTAtio P. Ioannis Euſeby, in qua ad huius conuiuij Diuini amoris frequentiam lectorem exhortatur.

NVllum melius, nullum ſuauius ferculum Chriſtiano lectori, iudico me poſſe in hoc Diuini amoris miniſtrare conuiuio, vt coronidem operis, quam hanc eloquentiſſimam exhortationem noſtri Euſebij Nierembergij ex illius operibus deſumptam, & eius magnæ deuotionis, & ſpiritus dignam. Vertam fideliter de Hiſpano in Latinum idioma. Ne, inquit, anima Chriſtiana tam magna bona deſpiciat ad hanc diuinam menſam Redemptoris ſui accedere deſinens. Videat, quod ſtabulum, in quo natus eſt in cœlum conuertit, deſertum, in quo ieiunauit in Paradiſum, Inferni ſinum, ad quem deſcendit in gloriam. Seipſam anima ad hoc cœleſte conuiuium inuitet, &

& ſibi ipſi dicat. Deus Pater Filium ſuum tibi vult donare, vt te Reginam conſtituat, nonne recipies illum? Ille eum ſeruum fecit, vt te faceret Dominam, nonne eum acceptabis? Ille voluit hordeaceum panem Chriſtum comedere, vt tu Angelorum comederes panem, & quotidie illum poſtulares nonne poſtulabis? Si Deus te non amaret, nunquid ad menſam ſuam te inuitaret? Vocat te Deus, & venire recuſas? Tu Dæmonem, animæ tuæ ſponſo anteponis? numquid compos es mentis? Ne te magis creatura afficiat, quam creator. Ne ſtudeas magis vanitati, nec miſeriæ magis, quam æternæ felicitati. Vide, quod Deus te quærit, te amat, te expectat, te ſuffert, te ab infinitis periculis eripit, reddítque tibi bonum pro malo, vt ſuam eſſe velis, vt peccata manumittas, vt à peccando ceſſes. Nonne fletu dignum eſt, quod Regis Regum viſitationem contemnas, ne eas, quæ tibi placent amittas; Quod ſpernas pretioſiſſimum donum, & ditiſſimum brauium omnium, quæ in cœlo ſunt, ne munuſculis, & nugis terreſtribus careas? quod renuas Dei hoſpitem, & conuiuam eſſe, vt vilibus carnis ſatureris eſcis? quòd viuum ſpiritus Sancti templum deſinas eſſe, ne cor tuum à maculis peccatorum mundes, quod Sanctiſſimæ Trinitatis tabernaculum eſſe paruipendas, ne puluerem vanitatis excutias; quod ſepulchrum, & reliquuturam carnis, & ſanguinis viui IESV Chriſti eſſe recuſes? Quod nolis eſſe cœli paradiſus, in quo infinito angelorum numero Deus circumdatus manet, ne eum ames, eiuſque obedias, voluntati? Accede anima mea ne ingrata ſis tam grato benefactori tuo, relinque omnia propter eum, in quo ſunt omnia, & in eo

inuenies

inuenies omnia. Proba hunc panem, qui lætificat cœlum, & mundum conſeruat. Accede anima mea, accede ad hunc Dominum, & illuminabit te, recipe frequenter hoc ſacramentum, & te ſuis donis ditabit, charitas enim eius non minuitur, magnitudo eius non exinanitur, ſurge, & comede, longa enim tibi reſtat via vſque ad montem Dei, donari hoc gaudium, & tibi redonabit æternum. Nihili enim facit omnia, quæ tibi dat, niſi ſe ipſum tibi det. Si graui ſupplicio Deus Iſraëliticum populum puniuit, quia manna faſtidiens carnes, allia, & cepas concupiuit Ægypti; ſi iratus fuit aduerſus eos; qui ad nuptias ſuas venire noluerunt, ne ſuas illecebras, & delitias relinquerent. Si Aſſuerus Rex vxorem ſuam, quia ad menſam eius ſedere noluit, repudiauit. Si infamis reputatus eſt, & multas Eſau, paſſus fuit ærumnas, & labores, quia propter vilem lenticularum edulium, vendidit maioratum, nonne te puniet Deus, nonne tibi iraſcetur, repudiabit te, & tibi regnum auferet gloriæ? Nonne te ærumnis replebit, & laboribus, ſi hunc diuinum cibum faſtidio habes, & non aues, ſi eum deſeris, ne viles tuas delitias deſeras; ſi vt ad libitum viuas panem viuum manducare recuſas, ſi ne peccato abrenunties peccatorum antidoto renuntias. Nil te impediat, vt ad hoc ſacratiſſimum ſacramentum accedas, qui thalamus eſt, in quo te Deus, vt ſponſus demulceat, cathedra, in qua te doceat, vt Magiſter, & Thronus maieſtatis ſuæ, in quo te ſua præſentia honorabit. Accede igitur deſiderans tua ſcelera purgare, tuas plagas curare, & magna beneficia à Deo, eiúſque Filio impetrare, is quippè, qui eum dignè recipit in eo omnia reperit. Si à morbis tuis ſanari cupis medicus eſt, ſi premeris

ſiti

Digitized by Google

ſiti propter tuæ concupiſcentiæ ardorem, fons eſt. Si mortem times vita eſt : ſi iter in cœlum agere optas, via eſt, ſi à tenebris fugis, lux eſt : ſi fame fatigaris alimentum eſt; omnia, quæ concupiſces in hoc cœleſti manna poteris inuenire, & omni ſuauitate ſaporis perfrueris gratia locupletata illius.

LECTORI LEVAMEN, muſica conuiuij.

CONSTRVVNT APES MIRÆ architecturæ ſacellum, vt ſacram Euchariſtiam collocent.

NVtriebat quædam fœmina multas apes, quæ cum ægrotaſſent, & ex illis interirent non paucæ à variis perſonis quæſiuit, quo poſſet vti remedio, vt damnum illud ceſſaret, inter alia medicamentum dictum fuit illi, quod ſi in vno ex aluearibus conſecratam hoſtiam imponeret, mox apes ſanarentur omnes. Cæca mulier auaritia irreuerentiæ crimen non timuit, Eccleſiam petiuit, & in ea communionem, & receptam formam latenter ex ore extrahit, & in linteolo cuſtodiuit, & deferens ea in aluearia in vno illorum impoſuit. Apes (prodigium admirabile) noui hoſpitis maieſtatem reueritæ ex ſuorum fauorum candidiore cera mirabili artificio paruam Eccleſiam conſtruxerunt, & in ea altare ex materia eadem, & in illo ſanctiſſimum ſacramentum collocarunt, cuius præſentia ſanitatem, & fœcunditatem pro domus ſtipendio apibus donauit, neſcit enim Diui-

nus

nus hoſpes creaturis ſuis non benefacere. Cum verò multis tranſactis diebus alueum illum mulier aperiret, ſtupendúmque prodigium videret timore, & ſtupore correpta mox Parochi domum adiuit, & ei, quæ fecerat, & quæ viderat declarauit. Ille Parochianos conuocauit, qui ad aluearia venientes alueum aperuerunt, & in eo mirabile ſacellum inuenerunt, & in circuitu eius apiculas reuolitantes, cantantes in terra ei; cui Angeli cantant in cœlo, magna admiratione pleni intuiti ſunt ingenioſam paruæ Eccleſiæ ſtructuram, parietes magna perfectione elaboratos, feneſtras, tectum, campanarum turrim, & ianuam, & in capite illius altare, totámque ita perfectè fabrefactam, vt admiratione, & ſtupore correpti propter ita nouum, & inauditum prodigium omnes ſuper terram proſtrati tam magni prodigij operatorem profunda humilitate adorauerint, ſolemníque proceſſione ſacram hoſtiam in Eccleſiam retulerint; collocatam in eodem ſacello quod illi apes fabricauerunt. Cæſar. *lib.* 9. *c.* 8.

NON SOLVM APES, SED ET alia pecora campi creatorem ſuum in Euchariſtia latentem adorant.

HAbetur apud eundem Cæſarium, quod cum Sacerdos quidam Sanctiſſimum Sacramentum ægroto, qui domum in montibus ſitam habebat, portaret, & per quædam paſcua tranſiret inſcio illo ſacra forma excidit in terram Res tamen contigit admiratione digna, pecora enim omnia tam magna, quàm parua paſtus ſuos deſerentia ad locum, vbi Creator, ac Dominus illorum

rum in ſacramento latebat conciro curſu conuenerunt, & circulum facientia ſacram formam in medio orbis cœperunt, & balatibus, & vocibus vnaquæque ſecundum ſpeciem ſuam vniuerſi Dominum pro ſuo captu venerabantur, adorabántque. Paſtores verò ita magnum prodigium ſpectantes attoniti, & ſtupefacti appropinquauerunt ad locum, vbi erant pecora, vt noui prodigij proxime cauſam viderent, & in medio eorum formam candidam, claram, & inſtar ſyderis ſplendentem conſpexerunt, cúmque quid eſſet neſcirent, vt eam manu apprehenderent accedere voluerunt. Verùm inuiſibilis, & ſecreta manus ita eos detinuit, vt nullo modo ad locum vbi erant accedere potuerint. Quamobrem compuncti, & perterriti Dominum laudabant; & miſericordiam implorabant ignorantes myſterium. Cœterum, cum Sacerdos ad ægroti domum perueniſſet, & patenam detegens formam non inueniſſet turbatus remanſit. Cúmque ad prodigij nouitatem quam plures conueniirent Sacerdotem vocauerunt, vt tanti mirandi teſtis eſſet. Peruenit ad locum, vbi ſacra forma erat, & ſuam coram omnibus incuriam confeſſus magna reuerentia cœleſte pignus deſumens magna paſtorum turba comitatus Eccleſiæ ſuæ formam reſtituit. Pecora autem, quæ ante, quaſi ſaxea eſſent, ibi erant immota, ad paſcua ſua redierunt magna omnium, qui aderant admiratione.

NON

NON SOLVM APES, NON SOlum pecora campi, verum etiam piſces maris Chriſtum in Euchariſtia venerantur.

F. Iacobus de Bleda miracu. 18. & P. Ildephonſus de Andrade Grad. 558. hoc narrant mirandum. In vico quodam, cui nomen eſt Alboraya prope Valentiam Parochus ſacram hoſtiam in argentea arcula deſumpſit, vt ad ægrotum portaret, qui in alio vico erat, qui Almacera vocatur, erat riuus in via, qui ea tempeſtate ita pluuiis excreuerat, vt Parochus in aqua ſubmerſus penè ſuffocatus perierit, quapropter arculam manu dimiſit, in qua duas conſecratas formas ferebat, natans tandem non ſine vitæ diſcrimine euaſit. Magno autem mærore animi ob cœli gemmas amiſſas. Peruenit ad populum, ſuámque narrauit ærumnam largo lachrymarum imbre cordis dolorem oſtendens populo eius vicem dolente, qui cum magna feſtinatione ad amiſſum theſaurum inquirendum exiuit. Arculam in ripa inuenerunt; non tamen formas, quod auxit triſtitiam, amiſſa ſpe quod inquirebant inueniendi. Verum vbi incipit impoſſibilitas humana, potentia magis manifeſtatur Diuina, vt in hoc caſu accidit Iuſſit Deus duobus piſcibus, vt ex mari exirent, & per aquam ſurſum aſcenderunt, duáſque Euchariſtiæ formas afferrent. Peruenerunt ad ripam, vbi piſcatores erant, oráque aperientes, pretioſiſſimas illas margaritas oſtenderunt, & vt ad eas deſumendas appropinquarent expectantes ſteterunt. Cúmque piſcatores ob tanti ſacramenti reue-

rentiam eas contingere non auderent, feſtinantes Parochum adierunt, cúmque mirandi illius certiorem fecerunt qui ſtatim ſuperpelliceum, ſtolam indutus, & magna populi turba comitatus cum facibus ardentibus ad locum vbi erant piſces aduenit, & res fuit magna admiratione digna, nam duo piſces non ſolum buccis apertis immoti remanſerunt ſacerdotem expectantes; ſed mox, ac Sacerdos peruenit ad ripam exeuntes, ad cúmque appropinquantes ſacras illi formas obtulerunt, vt ſicco pede, & commode illas ſumere poſſet; cepit illas ſiccas, quod nouum prodigium fuit, cum multo tempore in aqua fuiſſent. Tulit eas ſolemni proceſſione in Eccleſiam Alborayæ, vbi vſque ad hæc tempora conſeruantur magna veneratione, & arcula, in qua portabantur in Eccleſia Almaſenæ, cuius tabernaculum dicatum eſt huic myſterio, propter hoc miraculum, quod ibi cernitur depictum.

DE ILLVSTRI, CELEBRIQVE Darocæ corporalium miraculo.

QVamquam mirandum hoc valde notum eſt in Hiſpania, pauci tamen ſcitu dignas, mirabiléſque illius circunſtantias, quibus contigit norunt. In Valentiæ regno anno Domini 1239. Magnus Saracenorum exercitus irruit in paruum populum, in quo qui poſſent arma capere non erant, niſi mille Chriſtiani; cum igitur ſine auxilio eſſent humano, confugerunt ad Diuinum, & quia tempus, & ſubita inuaſio barbarorum ad expiandos confeſſione animos, & communione roborandos locum omnibus non concedebat, decreuerunt, quòd ſex duces ex primoribus peccatorum

torum confeſſione, & ſacra ſe munirent ſynaxi, rogaréntque Deum, vt ſuam tueretur cauſam, cum pro tuenda fide vitam mortis diſcrimini exponerent. Cum ergo confeſſione animum expiaſſent, ſacróque adeſſent conſecratis formis à Sacerdote, vt eis communionem miniſtraret repentino incurſu Saraceni irruerunt tanto impetu in eos, vt relicto ſacro, & communione arma capere coacti fuerint. Sacerdos vero maiore, qua potuit feſtinatione in corporalibus ſacras formas inuoluit, & ſub lapide abſcondit. Præmio Deus bonam voluntatem & fidem ducum affecit, & quamuis ita pauci Chriſtiani erant, ita inſignem eis victoriam conceſſit, vt occiſis innumeris Barbaris reliqui ſe infami fugæ dederint. Læti, & Deo grati Duces à Sacerdote petierunt, vt conſecratas iam formas ſibi, vt communicarent, miniſtraret, extulit eas Sacerdos ex lapide, ſub quo abſconditæ erant, & corporalia explicans eas cruentatas inuenit, ipſiſque adhærentes corporalibus ſicut vſque adhæc tempora cernuntur. Populo eas oſtendit, omnéſque ad deuotionem, piáſque lachrymas commouit, Deóque immenſas pro mirábili illo beneficio gratias egerunt. Mauri verò fugæ erubeſcentia confuſi vicinos ſuos conuocarunt, & denuo reficientes exercitum magna militum copia, vt amiſſum reſtaurent honorem aduerſus Chriſtianos redierunt. Verum accepto beneficio noſtri milites confortati à Sacerdote poſtularunt, vt in ſublimi poſitus loco corporalia,& ſacras formas populo Chriſtiano oſtenderet, vt earum roborati conſpectu excitarentur ad prælium. Factum eſt ita, & noſtri ad fortiter præliandum roborati tanto impetu in Barbaros irruerunt, vt totus campus ille ſanguine irrigatus,

Digitized by Google

& infelicium hoſtium cadaueribus plenus remanſerit. Comparata tam illuſtri victoria inter ſe conferre cœperunt in quo populo, & in qua Eccleſia collocandus eſſet tam diues, & cœleſtis theſaurus; vnuſquiſque eorum vellet, vt populo ſuo ſors ita felix contingeret.

Generalis Dux Chriſtiani illius exercitus multa prudentia præditus prudenter dixit. Cum opus hoc Dei ſit, mirandúmque beneficium eius, ad Diuinam illius maieſtatem ſpectat, declarare nobis, vbi velit pretioſiſſimum hoc monile deponi. Placuit omnibus prudens conſilium, & communi conſenſu ſortes miſerunt, vt ex eis Diuina voluntas cognoſceretur. Factum fuit ita, & ter felix ſors ſuper ciuitatem Darocam cecidit, ex qua erat Sacerdos, qui conſecrauerat formas. Sed nec hoc ſolum contenti mulam ſicurem, & manſuetam quæſierunt, quæ aſſueta non eſſet per Chriſtianorum regiones iter agere, in arca corporalibus repoſitis, eámque fortiter ligatam ſuper mulam impoſuerunt, illámque dimiſerunt, vt quocúmque vellet ad libitum pergeret, vt in loco illo, in quo ſiſteret, ibi cœleſtis theſauri illius depoſitum fieret. Mula præibat, Sacerdotéſque accenſas faces in manibus portantes ſequebantur eam, & poſt ordine ſuo Generalis, aliíque Duces, & reliqui milites exercitus. Ex populis, per quos mula tranſibat Sacerdotes, viciníque exibant Deum collaudantes propter ſtupendum prodigium, eíque herbam afferebant, & offerebant, vt comederet, ibique ſiſteret, & cœleſte depoſitum relinqueret. Numquam vero ſiſtere voluit, nec herbam attingere vſque quo Darocam peruenit, & Xenodochium ingreſſa, quod eſt extra vrbem, ibique nouum prodigium contigit, quippè cum ingreſſa

ingreſſa fuit Eccleſiam genua flexit, & obijt. Noluit námque Deus nec decens erat, quod quæ tam Diuino myſterio ſeruierat, obſequiis amplius deſeruiret humanis.

Cernuntur in hoc miraculo multa miracula; victoriæ duæ mirabiles: ſanguine formæ cruentatæ: mula inſueta iter agere per regiones Chriſtianorum, Saracenorum populos non adiuit. Cum ei herbam ſæpè afferrent, non conſtitit ad comedendum, toties nouum miraculum, quoties inuitabatur ad edendum: Recta via Darocam petiuit, quæ patria Sacerdotis erat, qui conſecrauerat formas: Eccleſiam ingredi, genua flectere, ſubito vitam finire, quæ miranda maiora? Præterea vſque ad hæc tempora incorruptæ, vt prima die, & cruentatæ permanent formæ poſt quadringentos, & decem, & ſeptem annos, tótque ſunt tam magni prodigij teſtes, quot ſacra hæç corporalia inuiſere ob deuotionem volunt, quibus Vrbanus IV. magnas indulgentias conceſſit, propter quod, & alia miranda, quæ per id tempus euenerunt, Corporis Chriſti in vniuerſali Eccleſia feſtum inſtituit. Magni Principes illa inuiſerunt, & prodigij huius oculares teſtes fuerunt. Imperator Carolus, Vxórque eius, Imperator Rodulphus, & Erneſtus Archidux frater eius, & alij quam plures, qui admiratione pleni Dominum ſuum, verúmque cœli, & terræ Imperatorem adorauerunt in ſacra Euchariſtia latentem. Habetur hoc miraculum apud P. Ioannem MAIOREM è noſtra Societate verb. *Euchariſtia*, & P. Magiſtrum Aloyſium Granatenſem *lib.* 3. *de religionis Chriſtiana praſt.* & alios omni fide dignos ſcriptores.

Digitized by Google

DE EVENTV ALIO, QVI CÆSAR-*Auguſtæ in Hiſpania contigit non minoribus prodigiis pleno.*

MAgiſter Iacobus Prig. libro ſalutarium conſiliorum refert, quod Cæſar-auguſtæ Catholica mulier fuit, quam dure maritus tractabat, qua propter Inferni vitam agebat qualis eſſe ſolet coniugatorum male inter ſe conſentientium, mediis omnibus vſa eſt, quibus immitis mariti indoles miteſcere poſſet; ſed omnibus fruſtra. Ad vltimum denique, nocentiúſque recurrit, Saracenum Alfaquiem ex his, qui tunc temporis Cæſar-auguſtæ degebant, vt tanti mali remedium ſibi ſuggereret conſuluit; quaſi Dæmon malus augendi, quam minuendi mala eruditior non eſſet. Maurus poſtulatum audiuit, & ſe dolere, de ærumna eius oſtendit; exaggerauit curationem, ſpopondit remedium, & magnum ſtipendium poſtulauit, iuſſitque ei, vt Eccleſiam peteret, & ibi communionem, ſibique conſecratam formam afferret, caute tamen, quoniam in ea tanti mali remedium erat. Infelix mulier obcœcata paſſione, & ab afflictione illa ſe ereptam videre peroptans iuſſa Mauri capeſcens conſecratam formam recepit, & ſerico paliio faciem cooperiens ex ore illam extraxit, & in arcula, quam ad id præparatam ferebat impoſuit, & in Alfaqui domum portauit, qui eam lætus accepit fœlicem euentum rei optatæ promittens. Cum verò arculam aperuerunt, ſpecioſiſſimum puerum in ea recumbentem repererunt, qui ex ſe Diuinos emittebat ſplendores. Chriſtiana attonita, Saracenus correptus ſtupore

pore remanſit, ambóque muti ſe inuicem reſpicientes, aſpiciebant puerum, & mirabantur, & vix quod videbant, credebat. Rupit fœmina ſilentium, & dixit. Domine ego formam, quam in Eccleſia recepi in hac arcula repoſui, neſcio quomodo in hunc puerum transformata eſt. Ego eam reſpondit Alfaquenus recipio, vt talem, ſi autem laboris tui cupis habere remedium, domum tuam adi, pyram incende, & arculam cum puero in cineres redige. Amens paſſione mulier, & mali ſui medellam amans impietati infidelis fidem præbens domum ſuam petiuit, & magnam pyram incendens arculam, & puerum proiecit in eam. Arcula vero combuſta illæſus puer inter prunas remanſit, floribus pulchrior, & quaſi inter flores eſſet. Irata ſcelerata fœmina ſe videns à ſuo deſiderio deluſam oleo, & aridis palmitibus ignem nutrire, & augere curauit, vt viuum puerum combureret, ſi forte in cineribus eius damni ſui inueniret medellam; fruſtra tamen, quantum enim incendium creſcebat, tanto magis augebatur pueri pulchritudo, & ſplendor.

Afflicta igitur fruſtra intentato remedio rediit ad crudelem magiſtrum, & quod ſibi acciderat enarrauit. Ille vero plus timens ſupplicium humanum, quàm Diuinum, ſi res nota fieret, vrbis Archiepiſcopum adiuit, & ſceleris, quod mulier illa perpetrauerat certiorem fecit Dæmonis enim miniſter à Dæmone dediſcerat ad culpam inducere, & conducere ad pœnas. Præſul igitur ex familiaribus ſuis viros fide dignos miſit, vt rei veritatem inquirerent. Infantem puerum ſuper prunas recumbentem repererunt, & deuota reuerentia pleni adorauerunt eum. Nonnulli ibi, vt puero aſſiſterent remanſerunt, & alij, vt quæ vide-

rant Archiepiſcopo enunciarent, redierunt. Qui mox Pontificia ornamenta indutus, comitatúſque clero, & ſolemni proceſſione venit, adorauitque Dominum illum, qui homines peramans factus eſt homo, & in panis accidentibus latens flammis amoris ardentioribus ardet, quam illæ, in quas ſcelerata mulier proiecerat eum. In patenam auream magna reuerentia cepit illum, & ſolemni pompa in ſuam Eccleſiam portauit, locauitque ſuper Diui Valerij altare omnibus Cæſar-auguſtæ cymbalis per ſe ipſas reſonantibus. Et tunc Archiepiſcopus magna deuotione, & ſpiritu ad populum concionem habuit, beneficium magnificans, quo Deus nos affecit nobiſcum manens, ſeque ipſum nobis ſub panis ſpeciebus manducandum præbens in hoc Diuini amoris conuiuio, quantum eum amare debemus, quanta reuerentia ſumere, quanta gratitudine, infinitum hoc beneficium accipere. Sacrum tandem fecit de Sanctiſſimo Euchariſtiæ ſacrameento, cúmque ad offertorium perueniret commutatus eſt puer in conſecratam formam, in qua eum illa mulier receperit, & quando ad tempus conſumptionis Præſul peruenit cum hoſtia, quam conſecrauit, conſumpſit eam. Alfaqui fugam cepit, mulier ab vrbe, quaſi deſperata receſſit; ſed Dei ſupplicium non fugit, nam fulmine cœli percuſſa redacto in cineres corpore infelix anima ob tam enorme delictum ad pœnas deſcendit æternas.

ORATIO

ORATIO

Diui Ambroſij ante Miſſam.

AD menſam dulciſſimi conuiuij tui pie Domine Iesv Chriſte ego peccator de propriis meritis nihil præſumens; ſed de tua confidens miſericordia, & pietate accedere vereor, & contremiſco. Nam cor, & corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem, & linguam non caute cuſtoditam. Ergo ô pia Deitas, ô tremenda maieſtas, ego miſer inter anguſtias deprehenſus ad te fontem miſericordiæ recurro, ad te feſtino ſanandus, ſub tuam protectionem fugio, & quem iudicem ſuſtinere nequeo, ſaluatorem habere ſuſpiro. Tibi Domine plagas meas oſtendo. Tibi verecundiam meam detego. Scio paccata mea multa, & magna pro quibus timeo. Spero in miſericordias tuas, quarum non eſt numerus. Reſpice ergo in me oculis miſericordiæ tuæ. Domine Iesv Chriſte rex æterne Deus, & homo crucifixus propter hominem. Exaudi me ſperantem in te; miſerere mei pleni miſeriis, & peccatis, tu, qui fontem miſerationis numquam manare ceſſabis. Salue ſalutaris victima pro me, & omni humano genere in patibulo Crucis oblata. Salue nobilis, & pretioſe ſanguis de vulneribus Crucifixi Domini mei profluens, & peccata totius mundi abluens Recordare Domine creaturæ tuæ, quam tuo ſanguine redemiſti. Pœnitet me peccaſſe, cupio emendare, quod feci. Aufer ergo à me Clementiſſime Pater omnes iniquitates, & peccata mea,

vt pacificatus mente, & corpore digne deguſtare merear ſancta ſanctorum, & concede, vt ſancta prælibatio corporis, & ſanguinis tui, quam ego indignus ſumere intendo ſit peccatorum meorum remiſſio, ſit delictorum perfecta purgatio, ſit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum ſenſuum regeneratio, operúmque tibi placentium ſalubris efficacia, animæ quoque, & corporis contra inimicorum meorum inſidias firmiſſima tuitio. Amen.

ORATIO

S. Thomæ Aquinatis.

OMnipotens Sempiterne Deus, ecce accedo ad ſacramentum vnigeniti Filij tui Domini noſtri IESV Chriſti, accedo tanquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem miſericordiæ, cœcus ad lumen claritatis æternæ. Pauper, & egenus ad Dominum cœli, & terræ. Rogo ergo immenſæ largitatis tuæ abundantiam quatenus meam curare digneris infirmitatem, lauare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, veſtire nuditatem, vt panem angelorum, Regem Regum, Dominum Dominantium tanta ſuſcipiam reuerentia, & humilitate, tanta contritione & deuotione, tanta puritate, & fide, tali propoſito, & intentione, ſicut expedit ſaluti animæ meæ, Da mihi quæſo Dominici corporis, & ſanguinis non ſolum ſuſcipere ſacramentum; ſed etiam rem, & virtutem ſacramenti. O mitiſſime Deus da mihi corpus vnigeniti Filij tui Domini

noſtri.

Digitized by Google

noſtri Iesv Chriſti, quod traxit de Virgine Maria ſic ſuſcipere, vt corpori ſuo myſtico merear incorporari, & inter eius membra connumerari. O amantiſſime Pater concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via ſuſcipere propono, reuelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum viuit, & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

ORATIO ALIA

D. THOMÆ DICENDA POST communionem.

GRatias tibi ago Domine Sancte pater omnipotens æterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum nullis meis meritis; ſed ſola dignatione miſericordiæ tuæ ſatiare dignatus es pretioſo corpore, & ſanguine Filij tui Domini noſtri Iesv Chriſti, & precor, vt hæc ſancta communio non ſit mihi reatus ad pœnam; ſed interceſſio ſalutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, & ſcutum bonæ voluntatis. Sit vitiorum meorum euacuatio, concupiſcentiæ, & libidinis exterminatio, charitatis, & patientiæ, humilitatis, & obedientiæ, omniúmque virtutum augmentatio, contra inſidias inimicorum omnium tam viſibilium, quam inuiſibilium firma defenſio; motuum meorum tam carnalium, quam ſpiritualium perfecta quietatio: in te vno, ac vero Deo firma adhæſio: atque finis mei felix conſummatio. Et precor te, vt ad illud ineffabile conuiuium me peccatorem perducere digneris, vbi tu cum Filio

Digitized by Google

tuo, & Spiritu Sancto, ſanctis tuis es lux vera, ſatietas plena, gaudium ſempiternum, iucunditas conſummata, & felicitas perfecta per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

SEPTEM BREVES MEDITATIOnes pro ſeptem hebdomadæ diebus quibus ſe præparet qui vult in hoc ſacro conuiuio ad Diuini amoris menſam ſedere.

MEDITATIO I.

PRæparatoria oratio. Toto cordis tui affectu poſtula à Deo anima mea, vt tibi hoc beneficium, & hanc gratiam concedat, quod illi omnes tuas cogitationes, verba, & opera, & præcipuè orationem, quam oblaturus es perfecta deuotione, & attentione offeras, ſitquè ad maiorem gloriam ſuam, tuúmque maiorem ſpiritualem profectum.

Loci compoſitio. Conſidera, quod ille omnipotens Deus, qui ſolo ſuæ voluntatis imperio hos ſpecíoſiſſimos cœlos, hunc ſplendentem ſolem, cœleſtiáque alia luminaria creauit, totúmque vniuerſum, eadémque facilitate poſſet infinitos mundos creare, hic magnus Deus, vt te alat, vt tibi indulgeat, vt tuum ſibi conciliet amorem, te ad ſuam menſam inuitat.

Petitio. Viua fide, & charitate ardenti à patre luminum

luminum lumen pete, vt beneficij agnoſcas magnitudinem, gratiámque, vt te infinito benefactori gratum oſtendas.

Punctum I. Meditare anima mea, quod altiſſimus ille gloriориſſimúſque Dominus, quem omnes reuerentur creaturæ, cui omnes ſubiectæ tributum præſtant: amoris Seraphini, cognitionis Cherubini, obedientiæ dominationes, laudis virtutes, aſſiſtentiæ Principatus, admirationis poteſtates, honoris Throni, gloriæ Archangeli, & denique obſequiorum in ſuis miniſteriis Angeli; Magnus ille Dominus, quem Patriarchæ videre deſiderauerunt, Prophetæ prophetarunt, propter cuius aduentum in hunc mundum antiqui Patres tot voces, tot clamores ediderunt. Ille idem, qui Spiritu Sancti virtute conceptus fuit in puriſſimæ Virginis vtero in corpus tuum ingreſſurus eſt, vt ſuas cum anima tua delitias habeat, tibi indulgeat, tibi benefaciat, & te mille fauoribns repleat.

Punctum II. Quamquam nulla ex creaturis ſuis Deus indiget, in ſe quippè ipſo infinita fruitur beatitudine, & gloria, amor tuus eum in extaſim rapuit, obſtrinxitque, vt à cœlo in terram deſcendens ſuis in corde tuo perfrueretur delitiis, ſuæque miſericordiæ theſauris, tuis ſubueniret miſeriis. Vide quanto amore, quanta gratitudine, hoc debeas beneficium rependere.

Punctum III. Meditare igitur anima mea, quam debeas præparationem habere, quæ ipſum Deum, qui te ex nihilo creauit hoſpitem habitura es. Ille, vt tibi hoſpitium præpararet, ſex dies conſumpſit cœlum creans, & terram, elementáque alia, plantis, floribus, & animalibus terram, piſcibus mare, aëra auibus, fulgentibus, ſplendoribus ignem, planetis, & ſtellis cœlum exornans. Æquum ergo

erit.

erit, vt te præpares humilitate terra profundiore, fide firmamento firmiore, charitate mari latiore, ignéque ardentiore, puritatéque ipſis ſyderibus puriore. Et parum eſt hoc totum ei, quæ in hoſpitium ſuum infinitæ maieſtatis Deum receptura eſt.

MEDITATIO II.

VT PATREM TVVM TE AMANtem & amari digniſſimum Deum conſidera.

P*Reparatoria oratio*, quæ ſupra.

Loci compoſitio ſit. Meditare charitatiuum illum prodigi patrem, qui cum luxurioſus filius grauia ſupplicia merebatur, oſcula ei, & brachia, amplexúſque rependit amoris.

Petitio eadem, *quæ ſupra.*

Ad hæc tria puncta tria, quæ bonus pater erga filium præſtare debet meditaberis.

Punctum I. Debitum primum. Filios ſuſtentare & alere. Quis pater tanta charitate ardens, quæ mater tanta amore incenſa fuit in orbe terrarum, quæ filiis ſuis cibum ita abundantem, ita copioſum tribuerit corpus ſuum, ſanguinem ſuum, animam, & vitam ſuam & totam diuinitatem ſuam, vt te cibet, vt te alat, ipſe Filius Dei te, vt pater amans tibi donat, quid eſt quod vltra poſtules, quid eſt, quod vltrà deſideres: Cum ipſe Deus tuus cibus anima mea, tuúmque alimentum ſit.

Punctum II. Debitum 2. Si pater Diues eſt filiis

filiis ſuis fundare maioratus. Locuples valdè fuit maioratus ille, quem filio ſuo Iacob fundauit Iſaac. *De rore cœli, & de pinguedine terræ, de optimo, quod eſt in cœlo, & de optimo, quod eſt in terra:* Verum, ſi cum maioratu, quem in pane, & vino ſtabiliuit tibi ſponſus tuus anima mea,qui te amat Chriſtus, componatur, omne, quod eſt in terra, & omne, quod eſt in cœlo ſine illo ſumma eſt miſeria, ſine illo ſumma paupertas eſt.

Punctum III. Debitum 3. Filios collocare in ſtatum. Gloria, & beatitudo, vt & inquit illuſtris martyr Boëtius, non eſt aliud, quam ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Et in hoc Diuino ſacramento pater verus tuus, qui te amat anima mea pignus tribuit tibi, quod pretio ſuperat gloriam, quocum poſſis conſequendi gloriam ſpem firmam habere, cum habeas infinite gloriam, pignus eius, valore excedens. Itaque toto cordis affectu loquere ad Dominum gloriæ, & dices ei.

O cœleſtis pater filios tuos infinite amans, qui tanta pietate me toleraſti, tanta patientia me expectaſti, tanto amore me ſuſcepiſti, me demulciſti, me amplexatus, & oſculatus es, me aluiſti, me locupletaſti, quo amore, quibus obſequiis, qua gratiarum actione potero tam incomparabilia beneficia rependere, da mihi Domine cum tu tam perfectè boni patris debita perſoluiſti, vt ego debita boni filij perſoluam te honorando, tibi obediendo, & te toto corde, totis viribus, tota anima amando.

MEDITATIO III.

Digitized by Google

MEDITATIO III.

VT SAPIENTISSIMVM MAGIſtrum qui ad te de cœlo deſcendit docendum humilitatem, patientiam, & charitatem Chriſtum conſidera.

PRaparatoria oratio, & petitio eadem quæ ſupra.

Loci compoſitio ſit. In Crucis cathedra inter duos latrones Chriſtum Dominum meditare patientem maiores iniurias, intentiores dolores, quam vnquam homo in mundo, vel paſſus fuit, vel patietur, & omnia hæc propter bonum tuum infinitæ charitatis igne ſuſtuliſſe ſuccenſum, eumdémque Dominum, qui pro te iniurias, & dolores ſibi aſſumpſit, tibi velle, tibi donare, in hoc conuiuio Diuini amoris diuitias, & delitias, illecebras, beneficia, & gaudia cœli.

Punctum I. Humilitatem docet. Quæ humilitas maior? Ipſis manibus, quibus fabrefecit cœlum, piſcatorum, & peccatorum pedes lauit, & quod plus eſt Diſcipuli illius, qui eum traditurus erat vendituruſque, ſic humiliauit ſe, vt nos exaltaret, altiſſimum hoc ſacramentum inſtituens; Quæ humilitas maior? quam infinitam ſuam gloriam in vilibus panis, & vini accidentibus abſcondere; Angelorúmque Regem, cœlorúmque Dominum ipſis puriorem in immundorum, miſerabiliúmque hominum pectora ingredi.

Punctum II. docet, Quot inurbanitates, quot ingratitudines,

ingratitudines, quot iniurias ſuffert; illéque omnipotens Dominus, qui tot Bethſamitarum millia ob id ſolum, quod non debita reuerentia arcam Dei reſpexerunt occidit, quam patiens, quam mitis, quam manſuetus eſt in hoc cœleſti conuiuio iniurias diſſimulans, peccatis parcens, contemptus tolerans, propter amorem tuum anima mea.

Punctum III. Charitatem docet. Deum à ſinu Patris in vterum traxit Matris, hæc cum Diues eſſet pauperem eum fecit; hæc eum repleuit pœnis, cum Rex eſſet gloriæ; hæc eum pati coëgit mortem, cum fons eſſet vitæ; hæc eum ad hanc oſtenſionem, ad hunc exceſſum, ad hoc extremum coëgit amoris, vt te ad amorem inuitaret, vt te excitaret ad amorem, vt tui amoris cupiditatem accenderet. Idcirco ſe tibi donat in cibum, vt intra cor tuum ingrediatur, & tu intime vniaris cum ipſo.

O Deus hominem amans, quare homo tuo non ardet amore: Cur amorem non rependit amore? O Diuini amoris magiſter? Si ad hunc mundum veniſti, vt hominem doceas amorem, & hunc ignem cœleſtem accendas, doce me hanc diuinam artem amandi, frigidum hoc meum cor igne tui amoris incende, & ne extinguatur concede mihi Domine, vt illum conſeruem in prunis patientiæ, & inter cineres humilitatis.

MEDITATIO IV.

Digitized by Google

MEDITATIO IV.

VT BONVM, ET VIGILANTEM paſtorem Chriſtum conſidera.

PRaparatoria oratio, & petitio eadem, quæ ſupra.

Loci compoſitio ſit. Oculos conijcere, & poſt illos amans cor tuum in hunc bonum, ac vigilantem Paſtorem. Contemplare eum anima mea vulneratis, cruentatíſque pedibus, & tranſuerberato capite duris, & pungentibus ſpinis, & per eius ſpecioſam faciem, venerabilémque vultum ſanguinis decurrentes guttas immixtas lachrymis, quas Diuini oculi fundunt, ſicque te vocantem, vt ouiculam errantem amoris ſibilis, vt te ad vitæ paſcua ducat, eripiátque à mortis æternæ diſcrimine.

Punctum I. Debita tria, quibus erga ſuos oues Paſtor tenetur tria erunt huius meditationis puncta. Debitum primum. Salubria paſcua, puróſque fontes ouibus ſuis præbere. Quis paſtus, anima mea ſalubrior, quam tui Saluatoris, tuíque Paſtoris viuifica caro. Qui puriores fontes, quam fontes Redemptoris tui? Qui potus pretioſior, quam ſanguis ipſius Filij Dei, ſanguis infiniti pretij, & valoris? Quis vnquam inuentus fuit paſtor, qui hunc oues paſcendi inuenerit modum, ſuoquè gregi carnem ſuam edendam, ſuumquè ſanguinem bibendum donauerit. Id igitur, quod nullus in mundo Paſtor fecit, hic bonus Paſtor perfecit. O quanto eum amore proſequi; ſubiectione

ſubiectione obedire, & ſequi debes feruore.

Punctum II. Debitum 2. Oues ſuas curare debet ægrotas. Tuæ ſunt ægritudines, anima mea, paſſiones, & vitia tua, ea curaturus Paſtor hic Diuinus aduenit, accede ad illum; morbos tuos detege, & deſideria conſequendi ſalutem, ſapiens eſt, potens eſt, bonus eſt, non deficiet ei ſapientia, non poteſtas, non bonitas; ſapientia enim eius omnia ſcit, potentia eius omnia poteſt, bonitas eius infinita eſt; accede fidens, accede ſperans, accede amans.

Punctum III. Debitum 3. Boni Paſtoris eſt oues ſuas à leonum, luporum, aliarúmque beſtiarum, quæ eis damnum inferre ſolent eripere vnguibus. Quis igitur, anima mea, à leonibus, lupíſque infernalibus, poterit te eripere, niſi hic Paſtor cœleſtis, ad quem in tentationibus tuis, in laboribus, in tribulationibus confugies, niſi ad huius protectionem Paſtoris? Ad quem poteris tutius occurrere, niſi ad eum, qui te ſolum poteſt eripere, & poteſt, & vult tibi ſuccurrere, te amantis ſibilos audi, venifera paſcua relinque, pericula fuge, & ad eum confuge, ipſe te in humeris ad cœlicolas portabit.

Hinc debes varios affectus eruere, in quo præcipuus meditationis fructus conſiſtit. Paſtoris huius, qui te à tuis morbis curat, qui te alit, qui te à tot malis, & periculis liberat bonitatem admirare, gratias age pro tam ſingulari beneficio, te amantem Paſtorem ama, amor enim amore debet rependi, non pretio minore, time ſi non audis, ſi non obedis, ſibilis eius, ne te puniat, ne te deſerat, & pereas. Similes in hac, & aliis meditationibus elicere debes affectus.

MEDITATIO V.

MEDITATIO V.

VT SAPIENTISSIMVM MEDIcum qui te venit curaturus Chriſtum conſidera.

PRæparatoria oratio, & petitio, quæ ſupra.

Loci compoſitio erit. Si nunciatum tibi eſſet, quod ad populum, in quo degis, medicus ita ſapiens, ita amabilis indolis peruenerit, vt omnes gratis curet, omnes facile ſanet, neminem repellat, dummodo velit ſanari à quacunque detineatur infirmitate, quanta ſedulitate ad eum quærendum exires, quanta fiducia omnium tuarum infirmitatum, morborúmque certiorem faceres. Medicus hic eſt Chriſtus anima mea, accede cum fide, accede cum reuerentia, accede cum amore, vt impetres ſalutem.

Punctum I. Terreni medici, docti licet in facultate medica plures morbos ignorant, eorúmque cauſas, & remedia non capiunt, quapropter in ægrotis curandis, vt plurimum decipiuntur errore. Verùm medicus hic, qui de cœlo deſcendit, vt noſtros morbos curaret; ipſe enim ſe medicum eſſe fatetur dicens. Non eſt opus valentibus medico; ſed male habentibus, hic igitur medicus, qui malè habentes curaturus aduenit; quia infinitè ſapiens omnibus infirmitatibus medetur, omnium cauſas, omnium remedia cognoſcit, nulla eum infirmitas latet. Accede anima mea, omnes tuos ei morbos aperi, ipſe tibi opportuna remedia exhibebit, ipſe te ſanabit.

Punctum II.

Punctum II. Terreni medici ob temporale ſtipendiũ infirmos curãt, cúmque, qui maius pretium ſoluit, ſtudio maiore, ac diligentia, pauperem facile deſerunt, & obliuiſcuntur. Hîc verò verus, ac cœleſtis medicus gratis, & ſine pretio omnibus medetur ægrotis, omnibus æquali cura, & ſolicitudine, ſi ſanari velint; Temporali non mouetur lucro; ſed ſolo deſiderio ſalutis infirmi? Nullus, vel pauper poteſt excuſationem habere ne medicum hunc accerſat. Te huius curationi committe, anima mea, ſalutem acquires, non maiore pretio, quam ſalutis amore, quæ felicicior vtilitas, quæ vtilior felicitas?

Punctum III. Terreni medici, vt plurimum ægrotos curant à malis pharmacis, carnis exuſtionibus, & ſæpè ipſo morbo acerbioribus, idcirco multi tanti pretio doloris emere nolunt ſalutem. Non ita cœleſtis hic medicus omni infirmitatum, morborúmque generi, ſuauiſſima, & efficaciſſima medicina medetur: Fauo ſcilicet mellis hoc Diuino altaris ſacramento ſuauiſſimo ad indulgendum, efficaciſſimo, ad ſanandum. Ne ergo, anima mea, ita ſuaue, ita efficax remedium, tuis vulneribus adhibere recuſes, maiore, qua potueris frequentia, maiore, qua potueris diſpoſitione, & reuerentia; Accede igitur ad eum; dicéſque ei toto cordis affectu.

O medice infinitè ſapiens, infinitè potens, infinitè bone, qui ſcis, qui potes, qui deſideras ab omnibus infirmitatibus meis, & malis me ſanum reddere, cura me, ſana me, hoc volo, hoc deſidero, hoc toto corde peropto, vt in me infinita tua ſapientia, infinita potentia, bonitáſque reſplendeat infinita. Da mihi Domine tam ſuaue, tamque

que efficax medicamentum, vt tam Diuina ſuauitas me trahat, cœleſtíſque eius efficacia me ſanet, perfectámque mihi animæ, & corporis tribuat ſalutem, qua poſſim tibi perfectè ſeruire, téque perfecte amare.

MEDITATIO VI.

VT INFINITÆ MAIESTATIS Regem, qui in corde tuo hoſpitium quæſiturus venit, Chriſtum, conſidera.

PRaparatoria oratio, & petitio eodem, quæ ſupra.

Loci compoſitio erit. Si magnus, ac potens Rex pauperi, & rus habitanti puellæ nuntium mitteret, vt eam moneret; quod craſtina die, vt diuerſorium, & hoſpitium quæreret in domo eius venturus eſſet Rex? Quid ruſtica hæc paupérque puella facere deberet? Nonne per nuntium paupertatem ſuam Regi ſignificaret, poſtularétque, vt aulea ſua, pretioſáque ornamenta ſerico, & auro intexta ſibi, vt domum exornaret, remitteret? Haud dubium, quin hoc faceret. Pro facultate verò ſua domum rigaret, verreret, mundaret, ramis, floribúſque exornaret. Hoc fac anima mea per Sanctos Angelos, alióſque cœlicolas, quos deuotè colis, ſupremum Regem exora, vt tibi donet pretioſa ornamenta virtutum, vt cor tuum exornes, confeſſione conſcientiam verre, lachrymis pœnitentiæ riga, & viuæ fidei, firmæ, ſpei, & [illegible] charitatis ardentis, & ramis, & floribus orna.

Tria

Tria puncta de tribus boni Regis proprietatibus erunt. Sit potens, ſit Diues, ſit liberalis.

Punctum I. Polleat potentia, vt regnum ſuum in pace cuſtodiat, & ſeruos ſuos ab hoſtibus valeat defendere. O quam potentem in corde tuo, anima mea, recipis Regem, ille regnum tuum in pace cuſtodiet, & vt pars inferior ſuperiori, rationi ſenſualitas, corpus ſpiritui ſubiectum ſit, faciet, frueríſque flumine ſuauiſſimæ pacis; ipſe te eripiet, & te ab omnibus tuis inimicis defendet, & tam ſupremi preſentia Regis omnes hoſtes tui terrebuntur, fugabuntúrque omnes.

Punctum II. Diues ſit. Vt præmiis poſſit obſequia ſeruorum ſuorum rependere, eóſque tributis, & vectigalibus non grauet, & ne opus habeat, vt eum propriis facultatibus adiuuent, imò ipſe diuitiis affluens ſeruis ſuis diuitias largiatur. Ita diues eſt, anima mea, Rex hic, qui in corde tuò hoſpitium quæſiturus deſcendit, vt ſingulis ſeruis ſuis, qui ei fideliter ſeruiunt integrum regnum habeat, vt eos præmio afficiat. In ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Recipe eum, hoſpitium cordis da illi, obſequere ei, pro hoſpitio, pro obſequiis cœlum habet, quod tibi det.

Punctum III. Liberalis ſit. Parum enim tibi proderit, quod diues ſit, ſi liberalis non eſt, ſi auarus eſt. Ita Rex tuus, anima mea, liberalis eſt, vt cui benefaciat, & bona ſua elargiatur, requirat, omnéſque, vt ſua bona capiant, inuitet, in nullo plus poteris placere ei, quam ſi plus, & plus petas, & repetas, vt ſua tibi communicet dona, numquam enim fatigatur donando. Ita ad dandum effuſus eſt, vt quamuis quidquid creauit in cœlo, & quidquid continet terra, dederit tibi, non

non ſatiatus eſt illius dandi appetitu, vſquequo ſeipſum totum dedit, in hoc Diuini amoris conuiuio donans tibi corpus ſuum, ſanguinem ſuum, animam, & vitam ſuam, omneſque ſuæ diuinitatis theſauros ita, vt nihil amplius ei reſtet dandum, nec tibi petendum. Dic igitur ei toto tui cordis affectu.

O Rex gloriæ Chriſte, ô Rex infinitè potens, infinitè diues, infinitè liberalis veni ad animam meam, vt ad hoſpitium tuum, veni Domine, eámque infinita potentia tua ab omnibus ſuis hoſtibus eripe, infinitíſque tuæ gratiæ theſauris diuitem fac eam; concedátque ei, licet indignæ infinita liberalitas tua immenſa præmia gloriæ. Amen.

MEDITATIO VII.

VT SPONSVM TE AMANTEM, qui de cœlo deſcendit, vt tecum anima mea, puriſsimum ac dulciſſimum matrimonium conſummet, Chriſtum conſidera.

PRæparatoria oratio, & petitio eadem, quæ ſupra.

Loci compoſitio erit. Cum ſis anima mea ruris incola, & paupercula, miſerrimáque puella nata, & nutrita in huius mundi villula. Dominus cœli tuo amore deuictus alienam formam ſumens, & habitu inuentus, vt homo, à regalibus ſedibus venit, vt te inuiſat, vt te ad ſuum amorem

trahat,

trahat, vt tuum ſolicitet amorem, qua precibus, qua donis, qua promiſſis, qua præceptis, qua ruinis, quaſi beatitudo eius à tuo amore penderet, quaſi Deus non eſſet, niſi tu illum amares, cum tua ſit beatitudo amare eum.

Tria hæc puncta ex tribus præcipuis proprietatibus, quas debet ſponſus habere, vt felix ſit matrimonium deſumenda ſunt.

Punctum I. Nobilis ſit, & ſanguine, & indole. Sponſus tuus, anima mea, quod ad humanitatem ſpectat ex Regali, & Sacerdotali progenie, ex regia Dauidis ſtirpe, legitimúſque regni Iſraëlitici hæres natus eſt. Quod ad diuinitatem pertinet Filius Dei æterno Patri, & Spiritui Sancto æqualis, & diuinæ Triados ſecunda perſona. Indolis eius nobilitas tanta eſt, vt totus ſit dulcedo, totus amor, requieſcit, cum ſuffert, gloriatur, cum parcit, maiores ſunt delitiæ eius creaturis ſuis benefacere, mitis eſt; & humilis corde, hic idem eſt, qui in fauum mellis conuerſus te quæſiturus, te ad ſuum venit attracturus amorem.

Punctum II. Pulcher, & aſpectu amabilis ſit. Audi, anima mea, quæ de eo annunciat, quæ eum bene nouit, ſponſa illius. *Dilectus*, inquit, *meus, candidus, & rubicundus electus ex millibus, corpus eius aurum optimum, coma eius ſicut elata palmarum, nigra, quaſi corius, oculi eius, ſicut columba, ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lota, & reſident iuxta fluenta pleniſſima: Genæ eius, ſicut areola aromatum inſita à pigmentariis, labia eius lilia diſtillantia myrrham primam. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ Hyacintis, venter eius eburneus diſtinctus ſaphyris. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundata ſunt ſuper baſes aureas. Species eius, vt libani, electus, vt*

Digitized by Google

cedrus. Guttur illius ſuauiſſimum, & totus deſiderabilis, talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus, filiæ Ieruſalem. Cant. 5. Hic igitur eſt ſponſus tuus, anima mea, qui inter panis, & vini accidentia abſconditus te quæſiturus venit. Si ergo pulchritudo eſt obiectum amoris, pulchritudo infinita digna eſt infinito amore.

Punctum III. Verus, & firmus ſponſæ amans ſit. Meditare anima mea, quam verus, quam firmus ſponſus tuus Chriſtus amator tui ſit. Poſtquam tot amoris oſtenſiones, tot extrema, tot exceſſus fecerat, vt te ad ſuum prouocaret amorem. Cum deſcendiſſet ad terram, vt te eleuaret in cœlum, in paupere natus præſepio, vt te locupletaret, nudus, vt te veſtiret, plorans, vt te lætificaret; inter paleas, vt te ſuper ſydera collocaret, inter bruta animalia, vt ſedem tibi inter Angelos daret, frigore tremens, vt te igne amoris accenderet. Et denique, cum paſſus fuiſſet ignominias vt te honoraret, vincula, vt te à ſeruitute Dæmonis liberaret, mortem, vt tibi vitam daret, & mille pœnas, vt gloria te coronaret, & adhuc te tepidam in ſuo amore videret, vltimum voluit experire remedium, vltimum medicamen amoris, vt tuum excitaret, vt cor tuum incenderet. Idcirco hoc Diuinum tibi fecit beneficium, & confecit amatorium beneficium ex panis, & vini accidentibus, & tibi illud manducandum præbet in hoc Diuini amoris conuiuio. Admirare, gratulare, ama, time, anima mea ita verum, ita firmum amantem, qui ita ſcit te amare, & ad amorem obligare. Infinitam admirare bonitatem, incomparabile gratulare beneficium, inſignem ama benefactorem, dilige diligentem te, nobilis eſt ſanguine, & indole, ſpecioſus forma præ filiis hominum

hominum, ſimul homo & ſimul Deus. Magnifac ita magnas oſtenſiones, & exceſſus amoris, time ſic amabilem ſponſum offendere, time talem ingratitudinem admittere, & conſortium, illecebras, dulciſſimos amores, & ſuauiſſimam conuerſationem eius admittere. Audi, anima mea, & vide maiorem nullam felicitatem eſſe, quam ei ſeruire, maius bonum, quam eum amare, nec maiorem gloriam, quam ea potiri.

Ad harum meditationum ſimilitudinem aliæ ſeptem poſſunt meditationes efformari, vt copioſa ſit ad meditandum materia, poterítque Dominus hic, vt Redemptor, vt Aduocatus, vt Iudex, vt Sacerdos, vt hoſpes, vt ſol, vt manna, vt cibus animæ contemplari, & in huius operis aſſumptis, & excurſibus multa, quæ in quolibet puncto poſſint conſiderari reperientur. Totúmque ſit ad maiorem honorem, & gloriam Domini illius, qui ita nos voluit honorare, ita obligare, tótque modis, tótque artibus noſtrum amorem excitare.

IESVS, MARIA, IOSEPH.

VITTORIO EMANUELE BIBLI... IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google